


B V D
BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS


V
B J
C



ADMIRANDA ZVINGLII & CALVINI TRIBUS EXPOSITA TRACTATIBUS.

IN PRIMO

Admirandus Præceptor Zvinglii, item admirandè erronea ejus Doctrina, & Prophetia, exponuntur ac discutiuntur.

IN SECUNDO

Exponuntur Admiranda Calvini mendacia, Admiranda item ejus Superbia; Maledicentia, & Impietas, Admirandeque erronea ejus Gesta.


IN TERTIO

Tractatu demum, Admirandi errores Calvini, tum in ejus Doctrina Fidei: tum in datis ab eo variorum Casuum Resolutionibus contenti, exponuntur & refelluntur.

AUTHORE

PATRE GEORGIO GENGELL,

Societatis JESU Theologo.



PRAGÆ, Typis Universit. Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Soc. JESU ad S. Clem. per Joachimum Joannem Kamenicky Factorem, Anno 1717

M. Casimiro Tuater M D et P. Cl. ab Authore donatus.

S. Augustinus libro 3. contra Julianum Pelagianum, capite 3. *Mira sunt quæ dicitis ò Pelagiani* (ò Zvingli, & Calvine) *nova sunt, quæ dicitis: falsa sunt, quæ dicitis: mira stupemus: nova cavemus: falsa convincimus.*

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO DOMINO D. JACOBO SIGISMUNDO A RYBNO RYBINSKI,

PALATINO CULMENSI,
GENERALI ARTILLERIÆ REGNI,
KOVALEVIENSI, LIPINENSI &c.
CAPITANEO,
DOMINO ET PATRONO
FAVENTISSIMO.



E Tenebris in lucem, id eſt in conſpectum TUUM produco Lucubrationem hanc ILLU-

STRI-

STRISSIME DOMINE. A ſepia laborantis, noctem habuit, à TE expoſcit & & exſpectat diem. Si Libri inquiris propoſitum, hoc frons explicat prima, & veluti vultus quidam, Titulus ipſe loquitur. Si profundiùs ad Authoris mentem deſcenderis, teſſera eſt nominibus pluribus debitæ TIBI gratitudinis. Quantis enim benevolentiæ TUÆ erga minimam Societatem argumentis, devinxeris eam, tenes luculenta in me teſtimonia. Non piget obligatum animum in Sole publico profiteri, cùm TU jam Sandomirienſi, jam Gedanenſi Collegio, apricum quoddam affectûs exhibueris. Singulis itaque Lucubratio hæc literarum apicibus, commatum notis, periodorum numeris, gratias perorabit, venturæ tradet poſteritati. Non diffiteor, quòd illa jam olim ad NOMINIS TUI metam, intenſis impellebatur

batur votis, ferebatur pennis, & lineis collimabat, verùm ne perveniret celeriùs, humanarum rerum quædam viciſsitudo retardavit. Convenientiùs item videbatur fore, inter armorum ſtrepitus, etiam meas ſilere literas, à longè ſtare, quàm implere eandem manum, Librô & gladiô. Tandem ubi deſideratæ pacis meditari & amplecti conſilia placuit, plantare Oleam, adverſitatum pellere nebulas, etiam paginæ, luci traduntur publicæ, eò veriùs, quia ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO. Quid enim in TE non ſplendidum? In primo Ortu ingentem claritatem derivas ab *ILLUSTRISSIMIS PRZEBENDOWSCIIS*, in immenſum auges Primæ Magnitudinis Siderum, in Cælo Lechico, *RADZIVILIORUM*, *KOSORUM*, *CZAPSCIORUM*, *KCZEWSCIORUM*, Fulgoribus.

Nu-

Nuptiales quoque Tædæ, in ſplendorem plurimum arſêre *TUUM*, licetſi breviùs in *ILLUSTRISSIMA ELISABETHA CONSORTE TUA, FILIA HIERONYMI LUBOMIERSKI CASTELLANI CRACOVIENSIS, SUPREMI EXERCITUUM DUCIS*, Terroris hoſtium, in Hungaria Turcarum, Tartarorum Bellatoris Magni, ubique Poloni Martis. Viſum equidem Superis nonnullam noctem *TUIS* Splendoribus, id eſt, Conjugis fata adſpergere: ſed & ſolem, umbræ comitantur, fulgores ignis fuligines. Quanquam nullum inde Jubari *RYBINSCIANO* eſt detrimentum, ubi illa (ut non ſpem vanam fas eſt concipere) tota fulgere cæpit æternitate. Amor etiam ille *SERENISSIMI AUGUSTI* II, poſtquam per plurimos virtuti heroicæ,

nu-

numerosis meritis pridem destinatos, TE deduxit honorum gradus, amplissimè fecit radiare. Et sanè à *SERENISSIMI* Latere claritatem tantam non derivare non potueras. Quare eruditionem Tuam *MAJESTAS REGIA*, calamo suo, fortitudinem ad horrorem belli, veluti ad delicias festinantem, Laconum more, non tantùm, murum in pectore, sed parem magno exercitui animum deferentem, colligentem post sudoris heroici imbres, Laurearum messem in Campo Martio, erigentem trophæa, commisit armis, ut utrique arenæ, Literariæ scilicet & Militari, conciliaret pretium ac splendorem. Inde *TIBI* jam *SUCCAMERARII CULMENSIS*, *VENATORIS REGNI*, iam *GENERALIS ARTILLERIÆ* decora, veluti Signa Zodiaci quædam, per quæ augmenta lucis sublimiùs proveherentur.

tur.

tur. Ergo PALATINUM TE suum Culma, MARESCHALCUM, id est integerrimum Vindicem legum, Polonæ Themedis insigne decus, Tribunal Regni salutavit, nos in ipso felicitatis meridie (non enim Areopagus noster ad tenebras est damnatus) in ipso honorum culmine, positum crederemus, nisi qui Te invitent Fasces majores primis (ut pronum est colligere vel ex Te ipso) excubarent ad limina. Hæc itaque fortunæ Lumina exspectabat tardior lucubratio, quibus & felicior Patria illustraretur & amæna dies accenderetur literis cum Zvinglio & Calvino hæresum antesignanis, decertantibus. Optimè Orthodoxo Orbi apparebunt semiferi ingeniorum partus, multiplicia errorum monstra in Luce TUA, Astri cujusdam instar, Fidei, Religioni, Veritati, inserviente. Et militantis strenuè

pro

pro cælo gladii ictum ſentient Hydræ, Herculeam experientur facem, in martiali æſtu, ardore zeli, quo ſemiuſta capita repullulabunt minimè, ad jacienda falſitatum venena in mentes hominum. Ne autem infauſta nomina bina, Libri frontem horrore impleant, eam condire gratiis viſum eſt, id eſt, ſuavitate animi grati, quem perennitati ſervaturum ſe pollicetur Auctor addictiſſimus, obligatiſſimus.

Georgius Gengell.
Societatis JESU.

FACULTAS
R. P. Præpoſiti Provincialis Societatis JEſu per Poloniam.

Cùm Opus, quod inſcribitur *Admiranda Zvinglii & Calvini*, à P. Georgio Gengell Societatis JESU Theologo conſcriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe approbaverint, poteſtate mihi facta ab Admodum R. P. Noſtro Michaële Angelo Tamburino Societatis Noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas, manu mea firmatas, Sigillôquè munitas dedi. Torunii, Die 23. Januarii, Anno 1714.



Raphaël Taczanowski.

PRO-



PROLOGUS.



Ntea Lutheri Admiranda, nunc Admiranda Zvinglii & Calvini propono: Tum ut Orthodoxus Lector magis in Sancta Fide Catholica roboretur, & excitetur ad intensius glorificandum Deum, qui eum ad Ecclesiam Orthodoxam efficaciter vocare dignatus est. Tum ut in promptu habeat Argumenta, ad convincendos erroris Novatores: Lector vero heterodoxus cernat, in quanto periculo salutis amittendæ æternæ, versetur, positus extra sinum veræ Ecclsiæ. Haud diffiteor, à plurimis Doctoribus Catholicis, in variis Controversiarum vastis Voluminibus, eandem materiam tractatam esse. Minimè tamen id me à scribendo absterruit. Memini enim in SS. Patribus me legisse hæc: Necessarium & utile est (inquit S. Prosper, in Epistola ad S. Augustinum) etiam quæ scripta sunt, scribere: nè leve æstimetur, quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse, quod non dolet, nec vulnus superducta cute, sen-

tiunt. *Et S. Augustinus scripsit lib. 1. de Trinitate, Cap. 3.* Non omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt, & fieri potest, ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere volent, illos planiores non inveniant libros, & in istos saltem incidant: ideo utile est, (*præsertim ubi Hæreses vigent vel serpunt*) plures à pluribus fieri diversô stylô, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos, res ipsa perveniat ad alios sic, ad alios autem sic: *Nec absimilia his legi in Sancto Bernardo post Homilias, super Missus est. Et in Ruperti prologo super Apocalypsim. Parvo hoc libro, multa, & sat dilucidè congessi, nè vastitate libri aut profunditate sermonis ullus à lectitando deterreretur: observarique illud curavi Vincentii Lyrinensis, in suo Aureo Libello contra Hæresum Novitates monitum:* Novè dicas, non nova. *Porrò testificor coram* DEO, *& JEsu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, me amore solius Veritatis Catholicæ, & salutis Proximorum, pretioso Christi sanguine redemptorum, istas Lucubrationes scripsisse.*

Lector benevole vale in eo (nempe DEO *ter Optimo Maximo) sinè cujus auspiciis, nihil unquam validum fuit.*

TRA-



TRACTATUS PRIMUS.

Admirandus Præceptor Zvinglii: itèm admirandè erronea ejus doctrina, & prophetia, exponuntur, ac diſcutiuntur.

CAPUT I.



Aſſero primò Admirandus Præceptor fuit Zvinglii.

PRobatur. Quia ipſemet Zvinglius (in libro, qui Subſidium, ſeu Coronis de Euchariſtia inſcribitur, exſtátque Tomo ſecundo ejus Operum) teſtatur Sacramentariam ſuam doctrinam de Euchariſtia, ſaltèm ultimatò ſe, noctu in Somno, 13. Aprilis, Anno Chriſti 1525. accepiſſe à monitore quodam. Poſtquam enim doctus & zeloſus Tigurini Senatûs ſcriba Catholicus, 12. Aprilis, eodem Anno diceret, in Propoſitione illa Chri-

Zvinglium fuiſſe Dæmonis Diſcipulum evincitur.

Christi. *Hoc est Corpus meum.* Vocem *est* non debere accipi, pro significat; nam isti sermones: *Semen est verbum Dei.* Luc. 8. &. *Ager est Mundus. Inimicus homo est diabolus.* Matt: 13. ad hoc propositum nihil faciunt: Christus enim hic parabolicè locutus est; non etiam isthic, cùm dicit: *Hoc est Corpus meum*: urgerétque Zvinglium, ut vel unum Scripturæ locum monstraret, ubi quidem non esset sermo parabolicus, vox tamen *Est* sumeretur pro *significat.* Sed nullus textus Scripturæ occurrebat Hæresiarchæ, in omnem partem se tunc anxiè vertenti, per quem directè respondere saltèm apparenter posset scribæ urgenti. Hoc tamen non obstante, Senatus Tigurinus decretum tulit de abolenda Missa: *Restabat adhuc* (verba sunt Zvinglii in lib. suprà citato) *haud minimus conatus, quo scilicet exempla proderemus, quæ nulla cum parabola conjuncta forent. Cœpimus ergo cogitare omnia, omnia revolvere; attamen aliud nihil exemplorum occurrebat, quàm quod in Commentario proditum est; aut quod occurrebat, erat illorum simile. Cùm verò tredecima Aprilis lux appeteret, visus sum mihi in somno, multo cum tædio, denuò contendere cum Adversario scriba, sicque obmutuisse, ut quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem. Ibi ἀπὸ μηχανῆς* (id est ex machina) *visus est monitor adesse* (*ater fuerit, an albus, nihil memini, somnium enim narro*) *qui diceret: Quin ignave, respondes ei, quod Exodi 12. scribitur: Est enim Phase, hoc est, transitus Domini. Protinus ut hoc phasma visum est, simul expergesio, & è lecto exilio, locum apud Septuaginta primum undique circumspicio, ac de eo, coram tota Concione, pro virili dissero: qui sermo ubi acceptus est, quemadmodum paulò post dicemus, omnibus Sacrarum literarum Candidatis, qui adhuc nonnihil, propter parabolæ obstaculum, hærebant, omnem nebulam discussit.* Hæc Zvinglius. De illo Textu Scripturæ agetur, infrà cap: 2. Somnium hoc multum deprædicant Sacramentarii cum Beza. Sed si debitè discutiatur, habent unde erubescant & Zvinglii Asseclæ, & Calvini.

Quæ-

Quæritur. Quiſnam fuerit iſte Præceptor ſeu monitor Zvinglii? Reſpondetur: fuiſſe dæmonem. Ità non ſolùm ſentiunt & aſſerunt Catholici, ſed & Lutherani. E numero horum, Smidelinus lib. contra Grynæum: Vittebergenſes in Refutatione Orthodoxi conſensûs: & alii, Calviniſtis diabolicum hunc Præceptorem meritò exprobrant. Schlüſſelburgiūs etiam lib: 2. Theologiæ Calviniſticæ fol: 76. ſcripſit: *Univerſæ Eccleſiæ Dei, innoteſcit, quiſnam ſit ille Spiritus, à quo Cingliani* (Calvinus itèm, & Calviniani) *ſuam opinionem Sacramentariam hauſerint. Nempe Spiritus iſte tenebrarum ater, qui noctem obambulans lucem fugit. Hic Spiritus fallax ſuâ fallaciâ ſomnia Cinglio ſomniatori inſpiravit.* Non abſimilia habet Hunnius famoſus Prædicans Vittebergenſis lib. de Sacrament. Et ipſe Lutherus lib. de Cœna dicit: *Diabolus Zvinglio & Oecolampadio id juris largitus eſt, ut verbum ſubſtantivum in hac Propoſitione Chriſti: Hoc eſt Corpus meum; macerent & in ſuam mentem transforment.*

Reſponſio ſuprà dicta noſtra Aſſertiva Probatur. Tum quia illa interpretatio, vel collatio Scripturæ, eſt erronea, impia, hæretica, ùt conſtabit cap. ſequenti. Ergo non eſt profecta à Deo, vel Angelo bono; ſed à Spiritu atro, ſeu Patre mendacii. Tum quia Zvinglius monitorem illum ſuum vocat: ex machina, Phaſma; hæ autem appellationes non conveniunt Deo optimo: Certúmque, & notum eſt omnibus Chriſtianis, Deum eſſe Spiritum candidiſſimum; nec S. Angelum eſſe Spiritum atrum: Zvinglius autem dicit: ſe non meminiſſe, nec ſcire, utrùm monitor ille fuerit ater, an albus. Tum quia Berengario inſtillabat errorem Dæmon circa myſterium Euchariſtiæ: ùt conſtat ex dicendis infrà. Ergo & Zvinglio. Verè quivis ex his (nempe Zvinglius & Berengarius ac Calvinus) poterat dicere: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me Patris diaboli.* Quidni ergo admirandus Præceptor Zvinglii?

Hæreſum Auctor eſt ipſe Dæmon.

Confirmatur Reſponſio. Auctoritate Patrum, qui uni-

versaliter docent, hæreticorum dogmata, & omnes hæreses, esse ex Diabolo. Audiantur aliqui. S. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallianum. *Fugite hæreses: diaboli enim sunt adinventio. fugite & malas soboles ejus, Simonem, Menandrum, Basilidem, Ebionitas, Nicolaitas. Hi enim non sunt plantatio Dei Patris, sed progenies maledicti.* Tertullianus de Præscript. cap. 40. *Quæritur, à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciant? à diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem.* Augustinus lib 13. de civit: cap: 51. ait. *Diabolus videns Templa dæmonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano, doctrinæ resisterent Christianæ.* Et Tomo 9. de Utilitate Jejunii. *Diabolus cùm Idololatriâ Christianos fallere non posset, lites inter eos immisit, sectas multiplicavit, errores seminavit, hæreses instituit.* Idem asserunt S. Clemens lib. 4. Recognitionum. S. Athanasius Oratione 1. contra Arianos. S. Hieronymus in cap. 29. Jeremiæ. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ. Chrysostomus Homil. 12. expendens illa verba Apostoli 1. Timoth. 4. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.*

Ut constat ex SS. Patribus.

Confirmatur id ipsum adhuc Inductione; Exemplis; & Paritate rationis: Irenæus lib: 1. cap: 9. & lib: 2. cap: 57. refert. Simonem Magum, &Marcum, aliósque hæresiarchas, habuisse dæmones familiares: Sicut è contra Ecclesia vera, Consiliarium habet Spiritum Sanctum, qui eam docet omnem Veritatem. Idem de Marcione, Basilide, Menardo, Theodoro, Carpocrate, Montano, Eutychete, Hæresiarchis, testantur Nicephorus lib. 3. cap. 3. Theodoretus lib. 1. & 4. Fabul. Epiphanius, hæresi 22. Eusebius, lib. 5. cap. 16. & 23. Tertullianus lib. de anima. Idem de Carolstadio, Oecolampadio, Anabaptistis, testatur ipse Lutherus, lib. contra ipsos: & lib. de Missa. Auritus testis, Cassianus collatione 7. cap. 32. ait: *Audivimus, diabolum*

Constat itèm Inductione & Exemplis variis.

lum apertissimè confitentem, se inspirâsse hæresim Arii, & Eunomii. S. Hubertus morti proximus, quum Berengarium Hæresiarcham, in cubiculum suum introeuntem vidit, exclamavit: *O Deus, quis iste est! Ecce diabolum video auribus ejus nescio quid insusurrantem; multósque ad eum sequendum, blandiente manu, & illice anhelitu, corrumpentem.* Maximilianus Imperator, in Comitiis Augustæ Vindelicorum, Anno 1518. publicè prandens, videns Lutherum, dixit Baroni cuidam Pincernæ suo: *Video cacodæmonem, forma corporea humeris istius Monachi incubantem, & te quidem superstite, me verò defuncto, iste Monachus turbas, calamitates, & miserias gravissimas in Imperio suscitabit.* Imò ipse Lutherus lib. de Missa angulari fatetur, se à diabolo excitatum, ut contra Missam scriberet; & ad id ei Argumenta subministrata, ac plus, uno salis modio, cum illo simul comedisse. In eodémque lib. dicit: *Diabolus, animam Disputationibus suis ità urgere, & in angustum coarctare novit, ut in momento quoque illi ex Corpore excedendum sit: quo sanè me quoque non semel, tantùm non perpulit.*

Addo Historiam notabilem, quæ contigit in Polonia, circa conversionem Palatini Podoliæ dicti Miezislawski: quam utì à testibus oculatis accepi (inquit Florimundus lib. 4. de Origine Hæreseon, cap. 11.) enarrabo. Palatinus hic, cùm die quodam, Sacerdoti Catholico, GorsKi dicto, plus pietatis, quàm doctrinæ habenti, vellet illudere, hominem ad prandium invitârat, Mensæ assidentem, Palatino innuente, Prædicans quidam variis quæstionibus urgere cœpit: jam caput aliquod doctrinæ, jam Papæ tyrannidem, jam dissolutam Ecclesiasticorum vitam, in medium proponens. Tacet ad omnia bonus ille Sacerdos, ac Strenuè interim appositis vescitur. Tandem ad Palatinum conversus; Quid hic hominis est, quæso? O! inquit: equidem ad prandium, non ad disputationem invitatus sum; ubi risu solvi omnes, & boni Sacerdotis simplicitatem, vel potiùs inscitiam, (ità enim videbatur) ludibrio habere. Tum ille: Equidem

dem

dem, inquit, jam hoc agam, & prandebo : tum fortè homini isti respondebo : Sublatis mensis, Sacerdos ità infit. Hodie Sacrum in Altari peragens, hac usus sum precatione : *Discerne causam meam de gente non Sancta.* Spero sanè hunc ipsum Deum, pro sua Omnipotentia, & Misericordia, preces has meas exauditurum. Factô deinde Crucis Signô, Prædicantem ità alloquitur : In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, per Dei, cujus ego indignus Servus & Sacerdos sum, auctoritatem, & potestatem, mando tibi maligne Spiritus, ut obmutescas, nec per os istius hominis loquaris. Quid fit ? Vix ille hæc verba pronunciaverat ; quum ecce Prædicans pisce magìs mutus sedet : Tum Sacerdos, iterum. Jam, inquit, ut homo loquere : & tibi respondebo. Hactenus enim, cum maligno illo Spiritu, qui per os tuum locutus est, & tam atroces, contra Jesu Christi Sponsam, injurias evomuit, verba commutare, Religioni mihi duxi. At Prædicans frustrà loqui conatus, quum ne gry quidem proferre posset, demisso capite, totus pudore perfusus, indè se proripuit. Palatinus miraculo hoc obstupefactus, errore abjurato, unà cum Familia sua, ad Catholicam Ecclesiam est reversus, & in ea constanter perseveravit. Hæc Florimundus.

Nota. Lutherani multi, ùt constat ex dictis suprà, asserunt satis rectè, Zvinglium fuisse discipulum dæmonis : asseruntque id ex eo ; quòd ipse testetur, se, à quodam monitore noctu accepisse complementum doctrinæ suæ Sacramentariæ, de Eucharistia. Quidni etiam rectè, imò jure potiori, censendus est Lutherus fuisse dæmonis discipulus ; cùm ipsemet fateatur, se ex atro Spiritu diabolo didicisse rationes, cur damnanda sit Missa privata, & alia dogmata Fidei Catholicæ ?

CA-

CAPUT II.

ASsero secundò, Admirandè erronea est Zvinglii doctrina de Eucharistia. Illam enim doctrinam damnat Prima Veritas Christus Dominus; damnat Scriptura; damnant Patres; Concilia; & Miracula.

ANtequam id probem, præmitto. Quod Zvinglius, de Eucharistia tres sententias diversas (homo in rebus fidei divinæ multùm inconstans) ùt veras docuerit. Primò enim, dum esset Catholicus, tenuit, & docuit, cum universa Ecclesia Orthodoxa, Corpus Christi verè & realiter contineri in Eucharistia, sub speciebus panis, non manente Substantia panis. 2.dò Post suum ab Ecclesia Catholica recessum docuit aliquot annis cum Luthero, Corpus Christi esse quidem verè in Eucharistia, sed simul cum substantia panis. 3.tiò tandem, in libello à se scripto de vera & falsa Religione, priores suas sententias retractans, docet: Corpus Christi non esse verè præsens in Eucharistia; ast solùm esse figuratè, seu significativè, seu tanquam in signo, addítque se id in animo pridem antè sensisse. Si sensit; cur ergo ausus fuit palàm docere contrarium tot retrò actis annis? Secundam ejus sententiam hìc non refello, nam falsitas ejus constat ex dictis alibi: scilicet in Admirandis Lutheri, Tractatu 3. cap. 6. Unde de tertia ejus sententia proceditur hìc &

Triplex diversa sententia Zvinglii de Eucharistia.

Probatur Assertio. Quò ad primam partem: Nempe quod sententiam illam Zvinglii, damnet Prima Veritas. Christus Dominus morti proximus, instituendo hoc Sacramentum, & legando illud Ecclesiæ suæ tanquam testamento, dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est Sanguis meus, qui pro*

Errorem Zvinglij de Eucharistia damnat

vobis

Christus Dominus, & Scriptura sacra.

vobis effundetur. Nónne autem verum Corpus Christi, traditum? & verus Sanguis effusus est?

Confirmatur multipliciter. Primò Lucæ 22. v. 20. dixit Christus. *Hic est Calix, novum testamentum, in meo Sanguine, qui pro vobis funditur.* Vel ùt est in Græco Textu, in omnibus Codicibus. *Hoc poculum novum testamentum est in meo Sanguine: quod pro vobis effunditur.* Seu quod idem est. *Hoc poculum mei Sanguinis, quod pro vobis effunditur.* Ergo in illo poculo fuit verè, & realiter Sanguis Christi: non enim poculum vini effusum est pro salute nostra.

Secundò. Regula est certissima apud omnes & approbata à S. Augustino, hæc: Verba Scripturæ sacræ sunt accipienda in sensu proprio, non in figurato, nisi aliquid grave obstet. Et ratio hujus clara est: quia aliàs, hâc regulâ negatâ aperiretur porta innumeris erroribus, ùt reflectenti patet. Sed nihil grave obstat (quid enim illud?) quo minus præfata Verba Christi accipiantur in sensu proprio, & non figurato; præsertim cùm Patres omnes antiqui, & Interpretes, ea in sensu proprio acceperint. Et insuper, Verba testamenti, qualia sunt etiam prædicta, debeant esse propria & clarissima. Nec verba hæc. *Corpus Christi*, in tota scriptura Sacra accipiantur aliter, nisi vel pro naturali vel pro mystico Corpore, id est Ecclesia: Evidens autem est, prolata verba hæc à Christo Domino in Cœna ultima: *Hoc est Corpus meum*, non posse intelligi de Ecclesia, nam hæc non fuit pro nobis oblata in Cruce. Ergo debent intelligi, de vero & naturali Corpore Christi. Vocula itèm, *Hoc*, nunquam in Metaphora usurpatur (ùt sapienter notat P. Cottonus, Henrici IV. Galliarum Regis Theologus) & quamvìs rectè dicatur, exempli causa: Regem esse solem: non tamen dicitur demonstrato Rege, Hoc est sol. aut sole: Hoc est Rex.

Tertiò. In Propositionibus his. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Verbum Caro factum est. Ego & Pater, unum*

num sumus. Voces hæ, *Est* & *sumus*; sumuntur propriè, rigorosè, & non figuratè. Ergo & in his Propositionibus Christi: *Hoc est Corpus meum. Hic est sanguis meus.* vox *Est* sumitur propriè, non figuratè. Nónne, si Pater opulentus, & optimus, morti vicinus, testamento legaret cistam clausam, dicens: Hic est thesaurus, qui vobis datur; nónne inquam filii essent certi, verum thesaurum contineri in illa cista? Et cur negatur, contentum sub speciebus panis, & vini, esse verum Corpus & sanguinem Christi? dum dicit expreßè Christus: *Hoc est Corpus meum. Hic est sanguis meus.* Certè adeò hæc verba sunt clarè comprobativa Veritatis Orthodoxæ, etiam testimoniô Lutheri; ut apertè confessus sit in Epistola ad Argentinenses, quæ exstat Tomo 7. se, licèt maximè id desideraverit, non potuisse tamen illa verba Christi, nisi propriè intelligere, ob eorum claritatem. *Si Carolstadius, aut alius quispiam* (inquit) *ante quinquennium mihi persvadere potuisset, in Sacramento, præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius in hac excutienda materia multùm desudabam, omnibus nervis extensis me extricare & expedire conatus sum, cùm probè perspiciebam hac re Papatui cumprimis me valdè incommodare posse. Præterea duos habui multò dexteriùs & acutiùs hac de re ad me scribentes, quàm Carolstadius, nec ità proprii ingenii captu verba detorquentes. Verùm ego me captum video, nullâ elabendi viâ relictâ. Textus enim Euangelii nimiùm apertus est, & potens, qui facilè convelli non potest, multò minùs verbis ac glossis è Capite vertiginoso confictis, subverti.*

Secunda Pars Assertionis Probatur. Apostolus dicit de Eucharistia: *Qui manducat indignè, judicium sibi manducat, non dijudicans Corpus Domini.* Proptérne panē simplicē, damnatione æternâ puniret Deus, qui indignè illū sumeret? Nonne Manna sumebant promiscuè, boni, mali; digni, & indigni? & tamen nulli dicuntur manducâsse sibi judicium, & esse rei Corporis Domini. Vero sanguine, non figurato Vetus sancitum est fœdus. Unde dicitur Ex-

odi 24. v. 8. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Deus.* Ergo & vero sanguine sancitum est fœdus novum, dum Christus dixit *Hic est sanguis novi Testamenti.*

Damnant Figuræ Euchari-stiæ. Manna fuit figura Eucharistiæ, ùt docent Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & alii: interpretando illum locum Joan. 6. *Patres vestri manducaverunt Manna &c.* ipseque Calvinus fatetur, Manna fuisse typum Corporis Christi. Porrò res figurata debet esse præstantior, & nobilior, quàm ejus figura: Sicut Corpus, suâ umbrâ: ac homo, suâ imagine præstantior est. Et S. Apostolus 2. ad Colofs. vers. 17. Figuras veteris testamenti comparat umbris; & rem figuratam Corpori. Jam verò si non esset verè, realiter, & substantialiter in Eucharistia præsens Corpus Christi, tunc Manna fuisset longè quid præstantius, quàm Panis Eucharisticus: in Manna enim continebantur multa eximia miracula; quæ enumerata habes infrà in Notato 6. Sapidius itèm erat simplici pane, & longè clariùs repræsentabat Christi Corpus, quàm aridus panis, ùt patet.

Agnus itèm Paschalis fuit figura Eucharistiæ, ùt docent Patres, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. Cyprianus sermone de Coena. Nazianzenus Orat. 2. de Pascha. Chrysostomus Homil. de Prodit. Judæ. Augustinus lib: 2. contra Literas Petiliani, cap. 37. Gregorius Homil. 22. in Evang. Leo Papa, sermone de Passione, & alii: colligitúrque etiam ex eo: quia Christus post sumptionem Agni Paschalis, statim instituit Eucharistiam; ut significaret, antiquum Sacramentum, novô tolli & adimpleri. Si autem Eucharistiæ panis & vinum, esset sinè Corpore, & sanguine Christi: utique Agnus Paschalis fuisset præstantior, non solùm entitativè, sed etiam repræsentativè, suo figurato? longè enim melius, Carnem Christi, & nutritionem Spiritualem repræsentat Caro Agni, ejúsque introsumptio, quàm simplex panis, ejúsque usus.

Ter-

Tertia Pars Assertionis nostræ Probatur. Quod nempe doctrinam Zvinglii damnent Patres. Quia ex una parte nullus ex Patribus Veteribus, verè ostendi potest, qui cum Zvinglio & Sacramentariis docuerit, in Eucharistia tantùm esse figuram Corporis Christi: Et ex altera parte, sunt clara testimonia Patrum, damnativa doctrinæ Zvinglii. Ex innumeris, adduco aliqua. *Damnant SS. Patres.*

S. Andreas Apostolus, dixit ad Aegeam Præsidem, qui eum jusserat dæmoniis Sacrificare: *Ego Omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie Sacrifico - qui cùm sit verè Sacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducatæ, integer perseverat & vivus.*

S. Ignatius, Martyr, Discipulus Joannis Apostoli, de Saturnianis & Simonianis, hæreticis sui temporis, in Epistola ad Smyrnenses (ùt refert Theodoretus Dialogo 3.) ità scribit: *Eucharistias & Oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiam esse Carnem servatoris Domini nostri JEsu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.*

S. Justinus Martyr in Orat: ad Antoninum Pium Imperatorem. *Nos* (inquit) *Christiani, Eucharistiam, non ùt communem cibum sumimus, sed credimus, quòd sicut per Verbum Dei, Dei Filius factus est homo: ità per verba consecrationis in Eucharistia fiat, & sit Caro & Sanguis Christi.*

S. Cyprianus, qui martyrium subiit anno circiter 259. Sermone de Cœna Domini: *Panis iste, quem Dominus Discipulis suis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus: Omnipotentiâ Verbi factus est Caro: & sicut in Persona Christi, Humanitas apparebat, & latebat Divinitas: ità Sacramentô visibili, ineffabiliter Divina se infudit Essentia:* Quid clarius dici potest pro veritate Catholica?

S. Hilarius, æqualis S. Athanasii lib. 8. de Trinitate: *De Veritate Carnis & Sanguinis, non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè Caro est, & verè sanguis est.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui eodem tempore floruit, quo

quo S. Hilarius, nempe Anno Christi 350. Catechesi 4. Mystagogica dicit. *Cùm Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: Hoc est Corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, & dicente: Hic est sanguis meus: quis inquam dubitet & dicat non esse illius sanguinem? - Aquam aliquando mutavit in vinum in Cana Galilææ; & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutavit? - sub specie panis, datur tibi Corpus, & sub specie vini datur sanguis. - Hoc sciens & pro certissimo habens, Panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Christi. Et vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse.*

S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi.*

S. Augustini textus vide infrà in Tractatu 2. cap. 1

S. Gregorius Nyssenus, Frater S. Basilii in Orat. de Sacro Baptismate. *Panis* (inquit) *Panis est initio communis; sed ubi eum mysterium Sanctificaverit, Corpus Christi, & dicitur, & est: Eodem modo vinum.*

S. Chrysostomus docet in Eucharistia idem esse Corpus Christi, quod fuit in Præsepi. Homil. 24. *Hoc Corpus* (inquit) *in præsepi reveriti sunt Magi, & cum timore & tremore plurimo adoraverunt: tu verò non in præsepi, sed in Altari; non Mulierem, quæ in ulnis teneat, sed Sacerdotem præsentem, & Spiritum perabunde super proposito Sacramento diffusum vides. Excitemur ergo, horrescamúsque, & majorem, quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem - non Angelos, non Archangelos, non Cœlos, sed ipsum horum omnium Dominum, tibi ostendo: neque eum conspicaris tantùm; sed tangis, & comedis; non hominis regium puerum, sed Unigenitum Dei Filium accipis; quomodo non horrescis? & omnium sæcularium rerum amorem abjicis.* Et Homil. 20. ad populum Antiochenum. *In Eucharistia, Dominum ipsum vides, ipsum tangis, ipsum manducas, non solùm fide, sed re.* Hæc & plura aureus Doctor, qui floruit Anno Christi. 390.

S. Da-

S. Damascenus, qui maximè ex sensu Ecclesiæ Catholicæ & Veterum Patrum, loqui & docere solet, lib. 4. Fidei Orthodoxæ cap. 14. ait: *Non est figura, panis & vinum, Corporis & sanguinis Christi: absit enim hoc: sed est ipsum Corpus Domini Deificatum.*

S. Epiphanius, qui simul cum S. Damasceno floruit circa annum 740. in Disputatione cum Gregorio, quæ habetur in 7. Synodo Act. 6. dicit. *Nunquam invenies, neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres, incruentum illud sacrificium, quod à Sacerdote offertur, imaginem dixisse: verùm ipsum Corpus & ipsum sanguinem.*

Theophylactus in cap. 26. Matth. & itèm in cap. 14. Marci. *Dicens* (inquit) *Hoc est Corpus meum: ostendit, quòd ipsum Corpus Domini est panis, qui Sanctificatur in Altari; & non respondens figura: Non enim dixit: Hoc est figura: Sed Hoc est Corpus meum: ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus nudas carnes comedere, maximè hominis: ideo panis quidem apparet sed Caro est.*

Paschasius Abbas Corbejensis, qui ducentis fermè annis, antequam Berengariana hæresis nasceretur, floruit; in lib. de Corpore Domini, cap. 1. ait. *Omnia, quæcunque voluit Deus, fecit, in Cœlo & in Terra: & quia voluit; licèt figura panis, & vini, hìc sit, tamen omnino nihil aliud, quàm Caro Christi, & sanguis, post Consecrationem credenda sunt.* Et in libello de Institutione Sacramenti ait. *Nec ità dixit, cùm fregit, & dedit eis panem. Hæc est, vel in hoc mysterio est quædam Virtus, vel figura, Corporis mei: sed ait non fictè: Hoc est Corpus meum, & ideo hoc est, quod dixit, non quod quisque fingit.* Idémque Auctor in eodem libro cap. 14. multa recenset miracula pro hac veritate Catholica.

Confirmatur. Patres antiqui docent Eucharistiam esse Miraculum Superans omnem humanum captum: ùt Augustinus in Psal. 33. Chrysostomus & alii, è quorum numero dicit S Ephrem, Basilio Magno familiaris, tantæque Auctoritatis, ut ejus scripta publicè post Sacram Scripturam legerentur, teste

S. Hieronymo lib. de Scriptoribus. Dicit inquam: *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnémque sermonem, quòd Christus, ignem & Spiritum manducandum ac bibendum præstitit nobis: Corpus scilicet & sanguinem suum.* Ergo è sensu SS. Patrum Veterum in Eucharistia non est solum signum Corporis Christi.

Calvini mendacium.

Ex hic dictis, habetur, mentitum esse Calvinum, dum in ultima Admonitione ad Vestphalum scripsit hæc. *Constat vetustos omnes Scriptores, qui totis quinque sæculis post Apostolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari,* quòd scilicet, non sit in Eucharistia vera realis præsentia Christi.

Assertiò tandem nostra probatur, quò ad reliquas suas partes. Nempe, quòd Concilia, Sensus Ecclesiæ Catholicæ, & Miracula damnent doctrinam Zvinglii.

Damnant errorem Zvinglii Concilia.

Quia plura Concilia, quàm decem, quæ videre est apud Bellarminum, damnârunt Berengarium, qui idem docuit de Eucharistia, quod Zvinglius. Ecclesia etiam tota Latina, Græca & barbara damnavit ejus doctrinam. Unde Lantfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, Sanctitate & doctrinâ conspicuus, qui disputavit cum Berengario in Concilio Romano sub Nicolao II. Pontifice, Anno 1059. eúmque ità convicit, ut librum suum, igni injecerit, in ultimo lib. contra eundem scribit sic. *Interroga universos, qui latinæ linguæ nostrarúmve literarum, notitiam perceperunt; interroga Græcos, Armenios, seu cujuslibet Nationis quoscunque Christianos, uno ore hanc fidem se testabuntur habere.* Testatique sunt omnes, qui miraculorum gloriâ & Sanctitatis laude excelluerunt. Maximè ab eo tempore, quo Berengarii hæresis damnata est, & sententia Catholica clarissimè explicata.

Demum (ut alia documenta hujus Veritatis prætercam) stupenda miracula in comprobationem realis præsentiæ Christi in

sti in Eucharistia, patrata, condemnant doctrinam Zvinglii. Et quidem ante Berengarii hæresim exortam, maxima pro Eucharistia exstitêre miracula; ùt videre est apud S. Cyprianum sermone de lapsis. Nicephorum lib. 13. cap. 7. Sozomenum lib. 8. cap. 5. S. Prosperum, lib. de prædict. parte 4. c. 6. S. Gregorium lib. 2. Dialog. cap. 24. & lib. 3. cap. 3. qui refert; qualiter hoc Sacramento ingentia miracula patraverit S. Benedictus. Petrum Diaconum in Vita ejusdem S. Gregorii. Post exortam autem hæresim Berengarii, grandia quoque exstiterunt miracula, quæ refert Guidmundus lib. 3. de hoc Sacramento, quibus miraculis quoque ipse etiam Berengarius, ad ejurandam hæresim permotus fuit.

Alia demum miracula contigerunt post Joannem Viclef, qui anno 1372. hæresim Berengarii renovavit: narràtque Thomas Valdensis, Anglus, Ordinis Carmelitarum Prior Provincialis, Vir doctissimus, qui floruit anno 1420. se præsente in Ecclesia S. Pauli, Londini, quendam Vicleffistam ab Episcopo Cantuariensi jussum esse Christi præsentiam confiteri & adorare Eucharistiam: hunc cùm facere nollet, respondisse: Araneam digniorem esse veneratione, quàm Eucharistiam; mox horribilem ingentísque magnitudinis araneam, ex summo templi tecto, in os blasphemi descendisse, & vix eam multorum astantium manibus prohiberi potuisse, quin ipsas fauces penetraret. *Damnant Miracula.*

In confirmationem etiam hujus Veritatis Orthodoxæ, insigne miraculum editum est Anno 1608. nec facilè reperies illustrius in hoc genere Prodigium ab Ecclesia Christi condita, quod refero Verbis Gravis Historici Josephi Juvencii lib. 17. Patris 5. Historiæ Societatis Jesu numero 46.

Favernum celebris Abbatia Benedictinorum est, haud procul Vesulo, in Burgundia Sequanorum. Ad ejus Templum Virgini Sanctissimæ dedicatum fieri solet ingens populi Concursus,

cursus, quo Divini Spiritûs in Apostolos delapsi memoria, feriis anniversariis recolitur. Proposita ibi de more fuerat Sacra Eucharistia in argentea, ùt solet, Theca, Solis Orbem referente, radiis prominentibus, & duplici crystallo adorandum ferculum includente. Dispositæ circùm ardebant faces, è quibus flamma, sericum allambens Conopeum illud sensim noctu, digressis edituis, consumpsit : indè ad ligneum altare prolapsa, totum concremavit cum sacro tabernaculo, cui Divina Hostia erat imposita: hæc mediis in flammis intacta sublimísque sub umbellæ parte, cui flamma similiter pepercerat manè apparuit. Attoniti Ædis Sacræ Custodes, & Religiosa familia, Miraculum conclamant. Concurrit populus innumerabilis, Deo quasi spectandi spatium & moram undique confluentibus indulgente. Quippe horas Triginta tres, nimirum ab ea nocte, quæ Sacram Pentecostes lucem excepit, usque ad Feriam tertiam, stetit Hostia Sacrosancta, in aëre pendula, cum Argentea, quæ illam includebat Theca, nullo penitus adminiculô suffulta. Infrà illam, apposita fuerat Mensa, sacrô tecta linteô, quæ labentem exciperet ; delapsa sensim est circa horam Diei ab Orto sole, quintam, eadem feria tertia, & in supposita carbaso placidè consedit. Archiepiscopus Vesuntinus, cujus in Diœcesi gesta res fuit, convocatis Patribus Societatis, auditis testibus, & totius facti serie diligenter expensa, miraculum solenni ritu per nostrum Concionatorem promulgari jussit medio in foro : quia populi concurrentis turbam, nullius, templi amplitudo capiebat. Dolani Cives, Cœleste pignus tam insigni nobilitatum Prodigiô, in sua invexêre Mænia, tanto Civitatis obviàm effusæ gaudio, & Apparatu, nullus ut excogitari Triumphus illustrior venienti CHRISTO potuerit.

Neque adeo opus est, ut bene notat Valentia, hujusmodi miracula petere; cùm in Provinciis ipsis, & locis pœnè omnibus exstet, ac retineatur in Ecclesia Catholica stupendorum,

partim

partim veterum, partim recentium Miraculorum memoria, quæ hanc veritatem Sacræ Eucharistiæ confirmant. Quod si tamen quispiam perperam neget miracula aliqua ejusmodi facta esse alicubi. Ex hoc ipso infero. Hoc ipsum esse grande miraculum, quòd innumeri acutissimi & ingeniosissimi Philosophi, imò totus Orbis, tam ad credendum difficile Mysterium fidei Christianæ (non enim minùs difficile est, quàm mysterium Incarnationis.) firmissimè crediderit & credat.

Ad meliorem dictorum intelligentiam & Eruditionis gratiâ.

Nota 1. Si quispiam Sacramentarius seu Zvinglianista dicat credendum esse, quod etiam divinitus impossibile sit, ut Corpus Christi sit absque extensione locali, & ut simul sit in diversis locis pluribus; Tunc quærendum est ex illo, ubinam hoc Scriptura sacra dicat esse impossibile? cùm juxta illius principium: nihil sit credendum sinè expresso verbo Dei? Accedit, tum, quòd dicatur in scriptura Matth. 19. v. 26. & Lucæ 1. v. 37. Omnia esse Deo possibilia: Tum quia non est divinitus impossibile, ut duo Corpora quanta se penetrent. Corpus enim Christi, penetravit lapidem sepulchralem, & Januas clausas: integritas itèm Deiparæ Virginis in partu inviolata fuit, ùt constat ex dicendis infrà in Tractatu 3. cap. 3. & 4. Cur ergo est impossibile simpliciter, ut idem Corpus Christi sit absque extensione locali in Eucharistia? Quæ in hoc repugnantia insuperabilis etiam virtute divinâ; ut etiam non possit esse simul in pluribus locis?

Objectiones Zvinglii, & Sacramentariorum, convelluntur.

Nota 2. Si dicat Spiritus ater per os Zvinglii: in Propositione hac Exodi 12. *Agnus est phase*, id est transitus, vox *est*, sumitur pro *significat*. Ergo & in hac propositione: *Hoc est Corpus meum.* vox *est*, sumitur pro significat. Respondendum negando consequentiam. Disparitas est 1. Quia rationes illæ,

quæ militant contrà consequens non militant, nec similes illis contra Antecedens. Nam consequens illud esse falsum constat ex Institutione Christi: figuris veteris testamenti: ex sensu itèm unanimi Patrum, Conciliorum & Ecclesiæ, ac multitudine miraculorum, ùt ostensum est: nihil autem tale vel simile quid contra Antecedens. Et hæc disparitas bene notanda est ad solvendas similes objectiones à pari deductas, quæ à Sacramentariis afferri solent. Secunda disparitas est, quia Agnus, & Phase: idest, transitus, sunt duæ res disparatæ, quarum una non potest esse alia: Unde vox, *Est*, sumi debet pro, *significat*. Jam verò *Hoc* & *Corpus*, non sunt disparata, & Pronomen *Hoc*, non significat Substantiam Panis, ùt erroneè putat Lutherus: ast in confuso idem significat, quod determinatè significat *Corpus*, quare Metaphora minimè hìc admittenda est,

His perpensis Objectionibus an non meritò dici potest illud Augustini lib. 22. de Civit. Dei cap. 11. *Ecce, qualibus argumentis Omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas* (& hæretica Sacramentariorum pravitas) *quam possidet vanitas?* Et lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. *Si animum præoccupavit alicujus erroris Opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum, homines arbitrantur.*

Ante Zvinglium eundem errorem docuit Berengarius, sed is postea resipuit.

Nota tertiò. Circa Annum Domini 800. fertur quidam Joannes Scotus, Monachus Benedictinus scripsisse librum erroneum, docendo, solam figuram Corporis Christi esse in Eucharistia, qui liber damnatus est in Concilio quodam Vercellensi, errórque ille statim suppressus fuit. Postea Berengarius, natione Gallus, Archidiaconus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis, eundem errorem anno 1050. in Gallia, majori, quàm quisque alius contentione, cœpit seminare: unde dicitur à S. Thoma 3. parte quæst. 85. art. 1. & passim ab aliis scriptoribus, fuisse primus Auctor hujus hæresis; sequebantúrque il-

lum

lum pauci, & soli scelerati, ùt testatur Guidmundus, Episcopus Aversanus, qui floruit anno 1070. Mox Concilia varia fuerunt congregata ad eliminandum hunc errorem. Primò Concilium Vercellense sub Leone IX. ubi, præsente ipso Pontifice, Berengarius absens, cùm noluisset, etsi citatus, ad Concilium venire, damnatus est. Secundò, Concilium Turonense sub Victore II. successore Leonis; ubi Berengarius præsens convictus est, & jurejurando promisit, se in posterum, illam hæresim non defensurum : verùm, cùm repente in eam relaberetur, Tertiò congregatum est à Nicolao II. circa annum 1060. Universale Concilium Romæ, 113. Episcoporum : ubi rursus convictus est coràm Berengarius, propriósque libros palàm Combussit, ac juramentum prius renovavit, formulámque fidei professus est, verbis his: *Ego Berengarius, anathematizo eam hæresim, de qua hactenus infamatus sum: quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri JEsu Christi esse.* Ast secundò perjurus, & in hæresim relapsus, iteratò accitus Romam ad Concilium, sub Gregorio VII. celebratum, anno 1079. mense Februario: ubi tandem quartò damnatus & convictus est: atque ibi dicitur verè ex animo resipuisse; fecítque ibidem professionem fidei hanc: *Ego Berengarius, corde credo, & ore Confiteor; panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per Mysterium Sacræ Orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram ac propriam & vivificatricem Carnem & Sanguinem Domini nostri JEsu Christi.* Dein rectè & piè mortuus est: ùt testatur Joannes Gerson, & alii; ac in die Epiphaniæ, jam moriens, dixit: *Hodie in die Apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus JEsus Christus, vel propter pœnitentiam, ùt spero ad gloriam : vel propter alios, quos perversâ doctrinâ decepi, neque potui reducere ad veram viam tui Sacramenti, ùt timeo, ad pœnam æternam. Nam jam sanè credo, post benedictionem, illa Mysteria esse Corpus & Sanguinem Salvatoris,*

toris, adductus, & veteris Ecclesiæ Auctoritate, & multis noviter ostensis Miraculis. Ità præter alios narrat Guilielmus Bibliothecarius lib. 3. de gestis Anglorum. Utinam & Sacramentarii omnes seriò ac citò resipiscant!

Vicleffus Hæresim Berengarianam resuscitavit.

Nota quartò. Post resipiscentiam, & mortem Berengarii, hæresis illa, quæ in sola ferè fuit Gallia, extincta est. Post verò annos circiter trecentos, nempè anno 1380. Vicleffus natione Anglus, Sacerdos, Artium Magister, hæresim Berengarianam, intenso conatu, renovavit; infecítque eo errore partem Angliæ, imò & Bohemiam, per Hieronymum Pragensem, & Joannem Huss. Extincta tamen, erat hæresis hæc etiam in illis terris ferè centum annis: tandem eam iterum renovavit Carolstadius, Oecolampadius, Bucerus, Zvinglius, Calvinus, (is in Defensione secunda contra Vestphalum fatetur habere se auctorem Berengarium: Oecolampadius verò lib. 3. Epist. suam Sententiam refert ad Scotum, de quo suprà) Beza & alii, qui hodie communiter, propter eam hæresim, vocantur Sacramentarii.

Quàm diversimodè à Novatoribus exponantur illa Verba Christi: Hoc est Corpus meum.

Nota quintò. Verba illa clara Christi. *Hoc est Corpus meum.* contempta expositione Patrum, & Ecclesiæ, adeò Novatores versârunt; ut non tantùm septem, prout Lutherus ipse recenset lib. de Cœna, sed Octoginta sex, quas refert Claudius de Sainctes Repet. 1. cap. 10. diversas illorum Verborum interpretationes formaverint: imò anno 1577. prodiit libellus, in quo ducentæ numerantur Novatorum Expositiones, vel depravationes eorundem Verborum; inter quas est & illa ridicula & crassè erronea Carolstadii expositio; quam tamen se ex revelatione Patris Cœlestis, didicisse ajebat: scilicet: Pronomen, *Hoc*, debere accipi pro adverbio hìc: ut sit sensus: Accipite & comedite, hìc sedet corpus meum. Itáne cæci fuere Apostoli, ut non viderent Christum discumbentem? Itáne & venas suas ostendit, cùm dixit Christus: Hic est sanguis meus?

Nota

Nota ſextò. Annotârunt Interpretes doctiſſimi & Doctores non pauci, ùt Cornelius à Lapide, Leſſius & alii, multa contenta fuiſſe miracula in Manna. Primò, quòd fuerit panis hominum in aëre factus, abſque ſemente, igne, fornace. Secundò, quòd fuerit in tanta copia, ut tribus millionibus hominum, & ſuprà, abundè ſuffecerit. Tertiò, quòd ſinguli, domum venientes, cùm Manna à ſe collectum, metirentur, ſive plus, ſive minus collegiſſent, omnes tamen unum idémque gomor, id eſt, quatuor circiter libras reperirent, in ſingula capita, ùt dicit Scriptura Exodi 16. verſ. 16. Quartò, cùm Sol incaluiſſet, liquefiebat Manna: tamen idem Manna collectum, jam ità durum erat domi, ut pilâ & molâ tunderetur, & igne non liqueſceret, ſed in tortulam formaretur: ùt legitur Numer. 11. verſ. 8. Quintò, cùm aliquis famem timens, vellet Manna in craſtinum ſervare, corrumpebatur vermibúſque ſcatebat. Sextò, duplum Mannæ depluebat feriâ ſextâ, & collectum abundè, in, ſequentem diem Sabbathi non corrumpebatur. Septimò, omnem ſaporis ſvavitatem in ſe continebat, & cuique exhibebat; juxta illud Sapientiæ 16. *Panem de Cœlo præſtitiſti illis ſinè labore, omne delectamentum in ſe habentem & omnem ſaporis ſvavitatem. Subſtantiam enim tuam* (nempe Manna, quo ſuſtentâſti Hebræos) *& dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas; & deſerviens uniuſcujuſque voluntati; ad quod quiſque volebat, convertebatur.* Octavò. Tam vere, quàm autumno, tam æſtate, quàm hyeme, ſingulis diebus, exceptô Sabbathô per quadraginta annos hoc pluebat Manna. Imò plurimis ſæculis Manna incorruptum ſervabatur in Arca Domini.

Quotnam fuêre miracula in Manna?

Nota ſeptimò. Miracula in Euchariſtia continentur hæc: Primò: Annihilatur materia prima & ſubſtantialis forma panis, & vini. Secundò: Corruptis ſpeciebus panis & vini, reproducitur materia prima, vel eadem numero, quæ fuerat antea annihilata; vel ſaltèm ejuſdem ſpeciei. Tertiò, acciden-

Quot miracula in Euchariſtia?

tia ſeu ſpecies panis & vini, manent ſinè ſubjecto. Quartò quòd Chriſtus, qui eſt in Coelo, prolatis verbis Conſecrationis, à quocunque Sacerdote, ponatur ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſimul cum ſuo Corpore, & Sanguine, cum omnibus ſuis donis Naturalibus, & Supernaturalibus. Quintò, quòd Corpus Chriſti, omnéſque ejus corporales qualitates, habeant modum exiſtendi definitivum ſub ſpeciebus: hìc modus in ſe complectitur innumera miracula. Sextò, quòd licèt dividantur Species; tamen ſub qualibet parte manet integer Chriſtus & in hoc miraculo continentur plurima miracula, ùt patet reflectenti. Septimò, quòd corruptis ſpeciebus, deſinat jam ibi eſſe Corpus Chriſti.

Qualis Analogia inter Manna & Euchariſtiam?

Nota octavò, inter Manna & Euchariſtiam eſſe in pluribus analogiam. Primò, enim idem eſt color ſpecierum Euchariſtiæ & Manna: erat enim Manna lucidum, & album. Secundò, Sapor dulcis utriuſque. Tertiò, nonniſi relictis ollis Ægyptiacis, & carnis voluptatibus invenitur aut ſapit utrumque. Quartò, infidelibus, & avaris, in vermem, & judicium vertitur utrumque. Quintò, ſicut Manna non datum eſt, niſì poſt tranſitum maris; ſic nec Euchariſtia datur, niſì poſt Baptiſmum. 6. Manna erat minutum, Chriſtus parvâ hoſtiâ eſt circumſcriptus. 7. Manna datum eſt hominibus peregrinantibus in deſerto, ut poſſent ad terram promiſſionis pervenire: Euchariſtia etiam eo fine datur. 8. Manna fuit cibus de Cœlo datus: ſic & Euchariſtia. 9. Omnes de Manna æqualem menſuram, nempe gomor unum, colligebant: ità totum Chriſtum æqualiter omnes recipiunt: licèt ſpecies, aut Hoſtia major ſit, ſive minor. 10. Fideles admirabundi Man hu? quid hoc ut nobiſcum ſit Deus? exclamant. 11. Manna Hebræis omnem Saporis varietatem dabat: ità Chriſtus parvulis eſt lac, viris eſt ſolidus cibus: ùt loquuntur Patres: S. Cyprianus Tractatu de Cœna Domini. Chryſoſtomus Homil. 24. in 1. ad Corint. &

alii:

alii. 12. Sole liquescebat Manna: Sic resolutis calore speciebus, Sacramentum dissolvitur. 13. Manna fuit expositum dubitationi, & contradictioni, ùt legitur Numer. 21. verf. 5. Numquid à Sacramentariis, & aliis hæreticis non contradicitur veritati tanti mysterii Eucharistiæ? Has & plures analogias, vide apud Cornelium à Lapide in 16. Caput Exodi.

Inter Mysterium Eucharistiæ & Incarnationis quænam Analogia?

Nota nonò. Inter Mysterium Eucharistiæ & Incarnationis, magna etiam analogia; à Lessio lib. 12. de Perfect: Div: & aliis Theologis annotata est. 1. enim sicut Divinitas invisibilis unita est humanitati visibili; Sic Caro Christi, nobis invisibilis, unita est speciebus visibilibus. 2. Ex illa unione efficitur unus Christus: ità ex hac accidentali unione, unum fit Sacramentum. 3. Totum Verbum, singulis partibus Corporis Christi, est unitum, hìc totum Corpus, singulis partibus Specierum. 4. Læsa humanitate, non læsa est Divinitas: ità quæ fiunt circa species, non afficiunt Christum. 5. Sicut ob illam unionem, dicebatur Deus pati, crucifigi, patiente Humanitate: ità ob hanc unionem, fractis & sumptis speciebus, dicitur frangi & sumi Corpus Christi, videri, tangi &c. 6. Humanitas Christi sustinebatur à verbo: ità species continentur Virtute Corporis Christi, & divinitate extra statum suum naturalem. 7. Nulla vis creata, potest jam unionem illam hypostaticam dissolvere: ità nec hanc accidentalem, quæ est Corporis Christi cum speciebus; quamdiu species salvæ manent.

Ex Verbis Consecrationis quodnam Anagramma.

Nota ultimò Coronidis loco. Ex his vocibus *Hoc est enim Corpus meum: Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: Ex his inquam vocibus, consurgit exactissimum Anagramma tale. *Calvine, non est rei figura: Luthere, non est panis. Corpus est Dei Optimi Maximi effusè mihi semet ipsum Communicantis in Cibum. Nosce, quo ritu & mysterio te reum redemi.*

CA-

CAPUT III.

ASsero tertiò, Admirandè erronea eſt doctrina Zvinglii, de aliis Veritatibus Fidei.

Zvinglii errores referuntur & refelluntur. Docuit Deum eſſe Auctorem peccati.

PRobatur. primò enim lib. de Provid. Dei Cap. 5. & cap. 6. dicit. *Deus author eſt ejus, quod nobis eſt injuſtitia, ſeu peccatum. Quando facimus adulterium, vel homicidium; Dei opus eſt, Motoris, Auctoris atque Impulſoris. Latro Deo impulſore occidit, & ſæpe numero cogitur ad peccandum.* O execranda impiiſſima doctrina! *Satiùs fuerit ſexcenties defodi* (clamat Aureus Doctor S. Chryſoſtomus Homil: 23. in Acta Apoſtolorum) *quàm Deum audire talia, per nos, ſcilicet eum eſſe Auctorem malorum.*

Ex tot Hæreſiarchis, vix aliqui, certè ante Zvinglium & Calvinum, de Deo Uno & Optimo tam impiè ſenſerunt. Docebant quidem Marcioniſtæ & Manichæi, Deum eſſe Auctorem peccati: ſed illi ſtatuebant Deos eſſe duos, unum bonum, auctorem boni, alterum malum, qui eſſet auctor malorum. Zvinglius verò & Calvinus, dicunt, ſe agnoſcere Unum ſolum Deum; eúmque eſſe Optimum; audent tamen aſſerere, illum eſſe Auctorem ſcelerum. Nónne hoc eſt, Deum transformare in diabolum? Vide dicenda infrà in Tractatu 3. cap. 2.

Solis naturæ viribus, poſſe obtineri gloriam æternam.

Secundò. Docebat (lib. contra Urbanum Regium) hominem, ſolis naturæ viribus & meritis, poſſe cæleſtem gloriam conſequi. Unde dicebat, Herculem, Scipionem, Catonem, Ovidium, Martialem, ſalvatos. Hic error olim etiam Pelagianorum fuit; damnatus à Conciliis, Patribus ac Eccleſia. Et meritò. Tum quia nulla eſt proportio inter merita naturalia, & ſupernaturalem gloriam. Tum quia, ùt rectè S. Thomas, S. Bonaventura, & alii argumentantur. Ad finem ſupernaturalem

ralem & divinum obtinendum, requiruntur in Adultis media, ſeu opera ſupernaturalia, & divina: talia autem non poteſt facere; nisì priùs ipſe divinus & ſupernaturalis efficiatur: ùt ait S. Dionyſius Areopagita in lib. de Hierarchia cap. 20. Ergo homo adultus debet, per gratiam inhærentem, & Spiritum inhabitantem, priùs evehi ad conſortium divinæ Naturæ; ut operari poſſit diviné; id eſt, facere opera meritoria vitæ æternæ.

Tertiò. Quodcunque diſcrimen inter Epiſcopum, & Sacerdotem; inter Sacerdotem ac Laicum, ſive marem, ſive fæminam, repudiabat, quod & antea fecerunt Pepuziani & Aëriani. Quis unquam audiit in Eccleſia Orthodoxa, ſimplicem laicum, & fæminam, habere poteſtatem abſolvendi Sacramentaliter, & conſecrandi Euchariſtiam? S. Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, qui floruit anno 350. dicit hæreſi 75. pleniſſimum furoris & inſaniæ dogma eſſe, tribuere cum Aërio, ſimplici Sacerdoti, jus conferendi alteri Ordinem Presbyteratûs. *Omnes omnino Christianos eſſe propriè Sacerdotes & Epiſcopos.*

Quartò. Deridebat vota facta Deo. Cùm tamen dicat ſcriptura Pſal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vota veſtra.* Conſtâtque ex eadem ſcriptura Sacra, Genes. 28. & 1. Reg. 1. Numer. 6. Jeremiæ 35. Pſal. 131. Jacobum Patriarcham, Annam Matrem Samuelis, Regem David, Nazaræos, Rechabitas, laudabiliter feciſſe vota: In Novo autem Teſtamento, quis enumeret, Viros & Fæminas, Sanctitate & miraculorum gloriâ eximios, à quibus emiſſa vota? Imò & B. Virginem, feciſſe votum perpetuæ Virginitatis, docet S. Auguſtinus & alii Patres: Vide etiam dicenda, in Tractatu 3. cap. 4. Et plura adhuc vide in Defenſione Theologiæ Scholaſticæ, Tractatu 4. propè finem. *Vota rejicienda eſſe.*

Quintò. Deridebat itèm dona, templis legata: imò & ipſa templa; quippe, cùm Deus ubique eſſet; neque peculiarem *Nec templa conſtruenda.*

rem sibi sedem usquam figeret. Hunc crassum errorem nónne condemnat Deus ipse imperans Exodi 15. sibi ædificari templum, in deserto, sub tabernaculis, in quo specialiter coleretur? Nónne placuit Deo, quòd ei voluerit David exstruere templum ex lapidibus 3. Reg. 8. v. 18. Nónne dixit, quòd Filius ipsius Salomon, ædificaturus illi sit templum? 1. Paralip. 11. Quod templum à Salomone extructum, quàm fuerit magnificum ex eo colligere licet. Primò, Quòd pro eo exstruendo (præter æs, ferrum, marmor parium, lapides pretiosos, in magno numero & quantitate) reliquerit David Salomoni auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: quod facit bis mille & quadringentos milliones aureorum, ùt notat Cornelius à Lapide in primum Paralip. Cap. 22. Secundò, Quòd multa insuper Salomon ipse, & Principes Israël, de suis thesauris adjecerint. Tertiò, Quòd totum templum, intus, obductum erat laminis ex auro mundissimo. In hoc templo Salomonis à Zorobabele restaurato, Christus Dominus sæpe versabatur, orabat, docebat, Domum Patris sui appellabat, ejúsque honorem zelosè tuebatur; ejiciendo vendentes, & ementes. Quis ignorat à Constantino Magno, primo Christiano Imperatore, magnificentissima templa ædificata esse Hierosolymis, Romæ, & alibi? idémque factum ab aliis Principibus Christianis, eximiísque pretiosis muneribus condecorata. Unde impius Julianus, patruus Imperatoris Juliani Apostatæ, dicere solebat: *En quàm sumptuosis vasis ministratur Mariæ Filio.* Si quæras impie. Quid facit argentum & aurum in templo? Respondeo cum S. Bernardo: Et quid facit aurum & argentum in freno, in equis, carpentis, mensis, famulis, lixis? Hac de re vide plura in libro meo cui titulus est *Gradus ad Atheismum.* Tractatu 1.

Improbat Venerationem Sanctorum.

Sextò. Venerationem Sanctorum, & Reliquiarum Sacrarum improbabat. Quam hoc sit erroneum; constabit ex dicen-

dicendis infrà in Tractatu 3. cap. 7. Hic ad refellendum errorem hunc, addo. Quòd venerationem Sanctorũ, Ecclesiæ totius praxis, à temporibus usque Apostolorum, & Consensus omnium SS. Patrum comprobet, è quorum numero, ait S. Ambrosius, serm. 6. *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum; & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.* Idem omninò, iisdem verbis dicit S. Augustin s Serm. 26. de Sanctis. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. Contra Julianum, ajt: *Nos, non Deos factos esse diximus SS. Martyres; sed omni honore dignari consvevimus.* Cur non colantur Sancti, Amici Christi, hæredes Regni Cælestis? quibus ipse Deus promisit honorem Joan. 12. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pa er meus.* Cur non honorem eos, in quorum honoribus Deus ipse honoratur?

Denominationes Magistri, & Doctoris rejicit.

Septimò. Docuit Zvinglius, Neminem debere vocari Magistrum, & Doctorem. Sic enim in Explicatione suorum Articulorum, Art. 27. dicit: *Tituli Magistrorum & Doctorum non sunt ex Deo; cùm Christus hoc vetet.* Unde licèt Zvinglius esset Magister Philosophiæ; nunquam, postquam quintus vel sextus Euangelista esse cœpit, titulum Magistri usurpavit. Et in Responso suo ad Epistolam Fabri, Helvetios suos alloquitur, sic: *Unionis Helveticæ, totiúsque Germaniæ Sanctis, Christíque Fidelibus, Hulricus Zvinglius, non jam Magister; unus enim nobis Magister est Christus, sed vilis & exiguus, fidelis tamen Euangelii* (quinti) *Minister.* Quæro, ubinam Christus vetat titulum Magistri & Doctoris? Dicit quidem Christus Matth. 23. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus enim Magister vester; omnes autem vos fratres estis. Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus.* Verùm respondetur primò indirectè. Utique eodem loco dicit Christus: *Et Patrem nolite vocare vobis super terram; unus enim est Pater vester, qui est in Cœlis?* Et tamen Sacramentarii Prædicantes uxorati, Patres se esse suorum liberorum fatentur; gaudéntque sic ab eis nominari? Itèm, S. Paulus bene gnarus fuit præcepti hujus, & tamen secundò

cundò ad Timoth: 1. ſcribit. *Poſitus ſum ego Prædicator, & Apoſtolus & Magiſter Gentium.* Et 1. ad Timoth. 2. *Poſitus ſum ego Doctor Gentium.* Reſpondetur ſecundò Prædictis verbis, Chriſtus ſolùm vetat faſtum & arrogantiam; quâ ſcribæ & Phariſæi, captantes auram popularem, cupiebant cæteris eminere, honorari & vocari Rabbi, præ Chriſto; imò, excluſô Chriſto, ùt explicant Sacri Interpretes. Et S. Chryſoſtomus Homil. 24. in Matth. ait. *Non vocetis Patrem: non ut neminem Patrem vocent, ſed nè ignorent, quem principaliter Patrem vocare oporteat: nam quemadmodum nemo principaliter Magiſter eſt; Sic nec Pater, præter illum; qui, tam Magiſtrorum, quàm Patrum omnium cauſa eſt.* S. autem Hieronymus & Auguſtinus, dicunt, ſenſum verborum illorum Chriſti eſſe: Nè vocari quis velit Magiſter, & non eſſe: Doctor ſalutari, & docere non poſſe: vel ſi poſſit, non facere. Quin & ipſe Zvinglius, Spiritu vertiginis actus, in idem Caput Matth. ſcribens. *Affectum* (inquit) *damnat Chriſtus, non appellationem. Non enim vetat, quò minùs Præceptores noſtros, Magiſtros appellemus; Sed ambitionis & arrogantiæ affectus reprimit: nè quis ſibi hujusmodi titulos vanè arroget.* Errorem priorem Zvinglii ſecutus & Carolſtadius (vel ſi mavis dicere errorem Carolſtadii Zvinglius) Andreas hic Carolſtadius, cùm eſſet Doctor Theologiæ, & Lutheri quondam, ad Doctoràtum promotor, ac acerrimus initiò doctrinæ Lutheranæ defenſor: non, *Doctor Andreas Carolſtadius*; ſed tantùm, *Frater Andreas* vel, *Frater Carolſtadius*, appellari volebat: nec jam ùt Doctor, togatus, vel palliatus incedebat; ſed ùt ruſticus bardo-cucullatus, terram vomere proſcindebat; Stivam tenebat, ad Vittebergenſe forum ligna è ſylva vehebat; ac, ùt refert Lutherus in Colloquiis Menſ. cap. 67. Cathedræ, in qua doctorandi ſtabant, chartulam affixit, in qua ſcriptum erat: *Nolite vocari Magiſtri.* Mirabile certè: noluit Zvinglius vocari Magiſter; nec Carolſtadius nominari Doctor voluit; & tamen uterque voluit eſſe, & dici, Reformator to-

tius Ecclesiæ; & videri ſapientior omnibus Orthodoxis Patribus, & SS. Doctoribus; utpote arguendo eos erroris.

Nota, Titulos Doctoris, Magiſtri, inter alia, approbant tot ſancti, illis titulis, in Academiis, & Univerſitatibus decorati: ùt S. Thomas, S. Bonaventura, S. Joannes de Matha, S. Xaverius, S. Franciſcus Borgias, Beatus Cantius &c. Approbant itèm Concilia, Viennenſe, Conſtantienſe, Baſileenſe, Lateranenſe: quæ jubent promoveri ad beneficia Eccleſiaſtica pinguiora eos, qui illis titulis inſigniti ſunt. Et Concilium Tridentinum Seſs. 24. cap. 12. Hortatur, *ut in Provinciis, ubi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltèm dimidia pars Canonicatuum, in Cathedralibus Eccleſiis, & Collegiatis inſignibus, conferantur tantùm Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Thologia, vel jure Canonico.*

Octavò. Docuit, Baptiſmum eſſe validum, ſinè forma hac Legitima: Ego te baptizo &c. Cùm tamen contrarium doceant, tum SS. Patres, Irenæus lib. 1. cap. 18. Cyprianus in Epiſtola 73. ad Jubajanum. Athanaſius Sermone 3. Contra Arianos. Baſilius libro de Spiritu Sancto, cap. 12. Auguſtinus lib. 3. contra Donatiſtas cap. 15. & alii. Tum Concilium Nicænum Canone 19. & Arelatenſe primum cap. 8. Tum demum Conſtans traditio Eccleſiæ, infundata expreſſis verbis Chriſti, Matth. 28. *Baptizantes eos, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

Sinè Forma conſueta Baptiſmi validum Baptiſmum eſſe aſſerit.

Nonò. Dicit Zvinglius (ut alios ejus errores prætermittam) minùs rectè Scriptum eſſe à S. Joanne: *Verbum Caro factum eſt.* Longè rectius, inquit feciſſet, ſi ſcripſiſſet: *Verbum Caro facta eſt.* ùt refert Lutherus libro de Conciliis. Bone Deus! quantum aſcendit cæca Apoſtatæ arrogantia. Correctorem ſe Joannis Evangeliſtæ, & Apoſtoli conſtituit, unus hæreſiarcha, Paſtor Tigurinus.

Non approbat dictum illud Verbum Caro factum eſt.

Quæri hìc poteſt. Quiſnam, vel quidnam cauſavit in Zvinglio, ut tam erronea admirandè dogmata amplecteretur & pro-

Lapſûs Zvinglii in Hære-

ſim quænã Cauſa? & propagaret? Reſpondetur. Principalis hujus cauſa fuit ſuperbia: hæc enim hæreſeon omnium Mater eſt, ùt probabunt dicenda infra in Tractatu ſecundo cap. 2. ipſéque Zvinglius, jam indè à puero, in familiaribus ſermonibus nihil ardentiùs, nihil crebriùs anhelabat, erumpentibus ab intimo votis, quàm aliquam ſibi viam, per qualiacunque media, aperire, ad nominis immortalitatem: quare poſtquam inaudiit Lutheri nomen, ob novitatem doctrinæ, celebrari, erupit in ipſo deſiderium efficax, ſimile quid moliendi; licèt jam fortè aliquid antè intùs & clàm, contra Eccleſiam moliri optabat, ſed minùs efficaciter. Unde tertia Concauſa errorum Zvinglianiſmi cenſendus eſt etiam fuiſſe Lutherus. Quod ipſum conſtat. Tum quia id ipſemet aſſerit Lutherus, dum in Epiſtola ad Nicolaum Hauſmannum, quæ exſtat Tomo 9. fol. 252. ità ſcribit. *Quamobrem iſta, ab eo* (nempe Duce Georgio, zeloziſſimo Principe Catholico, Fratre Friderici Saxoniæ Ducis) *non feram? qui liberos, è Corpore meo genitos, Abſalones meos ferre cogor: qui vehementiſſimè atque acerrimè mihi reſiſtunt, ac contradicunt: intelligo Sacramentarios: præ quorum furore, Papiſtas, mites & modeſtos judico.* Ergo Lutherus ipſemet cenſet, ſe fuiſſe Zvinglianiſmi & Calviniſmi, (ſeu quod idem eſt, Sacramentariorum) Patrem & Auctorem. Tum Quia Sacramentarii libro contra Concordiam à Caſimirianis Neoſtadii edito, non ſolùm de Luthero dicunt; *Eſſe virum Sanctum & inſignem Dei ſervum; divinitus formatum & excitatum, ad Eccleſiam Chriſti, in libertatem & lucem Euangelii, vindicandam:* Sed inſuper ibidem pagina 241. ſcribunt hæc. *Cur volunt* (nempè Lutherani) *Lutherum, Evangelicæ veritatis eſſe regulam? nempe ut ipſi ſoli Veritatis cuſtodes, Lutheri diſcipuli & ſucceſſores, Columnæ Eccleſiæ, eſſe videantur.* Proinde non ſolos Lutheranos, ſed ſe quoque, Lutheri filios, & diſcipulos eſſe volunt. In ſuo itèm Gallico Calendario, ex quo, Sanctorum nominibus ejectis, ſuorum Doctorum & Patronorum nomina collocârunt, in Februario Menſe, habent

Arrogantia & Lutheri Doctrina.

hæc

hæc : *Die 18. mortuus est Martinus Lutherus, verus servus Dei 1546.* Calvinus etiam, in Opusculo suo Theologico, vocat Lutherum, *Restauratorem Religionis Christianæ.* Eadem tertia pars Responsionis.

Confirmatur primò. Quia Lutherus posuit principia, quibus uti fundamento, superstruxerunt facilè sua dogmata, Zvinglius & Calvinus. Scilicet: Relinquendum est judicio cujuslibet privati hominis Christiani, quid credendum sit, quid non. Ecclesiæ, Conciliorum, & Patrum Auctoritas flocci habenda; & alia similia principia.

Confirmatur secundò. Quia Lutherus ea ferè omnia docuit erronea, quæ Zvinglius & Sacramentarii. Utique Lutheri propositio est hæc, libro de servo Arbitrio. *Nulli in manu sua est, cogitare quidquam mali, aut boni: sed Deus in nobis omnia, bona & mala operatur.* Et clariùs Melanchton, primarius ejus discipulus in Annotat: in Epist: ad Rom cap: 8. dicit. *Sicut fatemur, proprium Dei opus fuisse, Pauli vocationem: ità fatemur, opera Dei, propria esse, Davidis adulterium, Manlii severitatem; Constat enim Deum omnia facere, non permissivè, sed potenter; id est, ut sit ejus propria Judæ proditio, sicut Pauli vocatio.* Utique Lutherus asseruit, Omnes Christianos, omnino esse propriè Sacerdotes: vota esse impia: & Venerationem Sanctorum? Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in iisdem esse vana gentilitate introducta, & tantùm prodesse Ecclesiæ, sicut diabolus. Imò *Nónne* (inquit Erasmus Roterodamus in Epistola ad Fratres Inferioris Germaniæ.) *Lutherus scripsit, omnem disciplinam, tam practicam, quàm speculativam esse damnatam? omnes scientias speculativas, esse peccata & errores?* infantes sinè Baptismo salvari? Nónne itèm scripsit Lutherus. *Diceretur aptiùs nostro judicio: Verbum est incarnatum, seu carneum factum; quàm, Verbum caro factum est.* Quod autem in aliquibus, præsertim de veritate existentiæ realis

Corpo-

Corporis Christi in Eucharistia, desciverint Sacramentarii à Luthero; nihil officit nostræ responsioni. Constat enim longa inductione, quòd Discipuli primarii hæresiarcharum, ab illis discrepare soleant in plerisque. Sic Aërius, & Aëriani in aliquibus dogmatibus desciverunt ab Ario suo auctore, & Arianis. Marcion & Marcionistæ, à Cerdone & Basilide, suis Magistris; Menander & Menandriani, à Simone Mago: Circumcelliones, à Donatistis &c. Imò ad hunc errorem Zvinglii & Sacramentariorum, de Eucharistia excitandum & stabiliendum, multum valuit Lutheri doctrina, negans transsubstantiationem, ùt fatetur etiam Calvinus, in Defensione secunda, contra Joachimum Vestphalum: itèm ille Lutheri error, ad quem inductus fuit à Bucero, scilicet: in sola sumptione Eucharistiæ, esse verè Corpus Christi; indéque Calvinus gloriatur in Epistola ad Fridermiconium.

CAPUT IV.

ASsero quartò, Admirandè erroneæ sunt Prophetiæ Zvinglii.

Zvinglius falsò prædicit, illius erroribus Hispaniam adhæsuram.

PRobatur. Prophetavit enim Zvinglius, Hispaniam intrà triennium, Zvinglianam futuram. Et en jam sæculum integrum pridem elapsum est; & Hispania tota, in antiqua fide Catholica firmiter persistit; Zvinglianismum, aliáque hæresum portenta, semper detestata est. Imò jam à pluribus retroactis sæculis, ab omni hæresi, hucusque præservata: quod præsertim factum est, curà & diligentià Regum Hispaniæ, verè Catholicorum: ab iis enim, ad arcendas has à Regno suo animarum pestes laudabiliter constituta sunt tria efficacia Media; Scilicet primò. *Hermandatus*, sive Sancta

ĉta Fraternitas: eſt hæc Juſtitiæ ſpecies exacta, perſequendis maleficis, qui ſe fugâ ſubduxerunt, inſerviens: cautum enim eſt per totam Hiſpaniam; ut in quovis pago, vel loco, ubi ſcelus commiſſum eſt, ſtatim campanarum ſonô detur ſignum omnibus, indagandi quid ſit; ac omni ſtudio explorandi, quonam ſeſe recipiat is, qui fugit; ſtatimque Hermandatus, ſeu Fraternitatis illius Socii ad ſuas partes agendas, ſeſe accingunt; & fugientem inſequuntur, & capiunt. Secundùm medium, *Cruciata*, conſtituta ad id, ut conſtet, num quis pietatis, & Sacramentorum frequentationem negligat: ei omnes, anno ætatis ſeptimo, nomen dare tenentur; nec quiſquam admittitur ad confitendum; niſi Bullam Cruciatam habeat, quam redimunt Plebei, binis Regalibus: Principes, octonis: confeſſus communicat, & accipit teſſeram, quo anno, & die communicavit: poſt Octavam Paſchatis, Parochus colligit illas teſſeras; quòd ſi quis eam non habeat, in vincula conjicitur & pecuniâ mulctatur. Si verò hæreſeos ſuſpectus ſit; ad Inquiſitionem mittitur. Tertium Medium eſt, *Tribunal Sacræ Inquiſitionis.* Quantum Catholicæ fidei zelus, ejúſque Religioſi cultûs tuendi ac propagandi ardens deſiderium fuerit in Regibus Hiſpaniarum, præter dicta, vel ex hoc collige. Ferdinandus Tertius, hæreticos nullibi Regnorum ſuorum conſiſtere paſſus, propriis ipſe manibus ligna comburendis damnatis ad rogum, advehebat. Philippus verò ſecundus fecit votum, humeris ſuis ligna ſe comportaturum; quibus, unicus filius ſuus Carolus combureretur vivus, ſi convinci poſſit hæreſeos. Non abſimilem fidei Orthodoxæ conſervandæ, & dilatandæ zelum habuerunt alii multi Reges Hiſpaniarum, verè Catholici titulo, digniſſimè inſigniti.

Quibuſnam mediis conſervatur Hiſpania in fide Orthodoxa?

Idem Zvinglius, qui dicere ſæpe conſveverat, *Evangelium ſitit ſanguinem*: dum illo ductore complerentur campi exercitu Helvetiorum Sacramentariorum, contra Helvetios Catho-

Prædicit falſò ſuis Victoriam.

Catholicos) Prophetam agens, prædixerat ſuis certam victoriam, imò prophetabat, omnia Catholicorum tela ex adverſo ſtantium, bombardas atque lanceas, ac alia tormenta bellica, in propria ipſorum viſcera eſſe convertenda: ſed quàm falſus vates! Bellatum cum Zvinglianis: triplo fuerat major exercitus hæreticorum, & tamen Octingenti è Catholicis, extra aciem primi præcurrentes viginti hoſtium millia generosè adorti, tria illorum millia trucidârunt, totidémque captivos abduxerunt: & quia nox interpoſita, effuſum victoriæ curſum inhibuit; Zvingliani, renovato prœliô, eos coëgerunt, qui ardentiores diſcordiæ flammas ſuppoſuerant, ut propriô exemplo ac periculo, majus pondus certaminis ſuſtinerent.

Zvinglius interemptus in bello.

Quare Zvinglius, cæteríque Apoſtatæ Sacerdotes, cum Tigurino Magiſtratu, in primo agmine collocati, confoſſi, ceciderunt; ut, ex trecentis Senatoribus, vix ſeptem evaderent: & tamen tanta hoſtium clades, victoribus Catholicis, vix triginta capitum pretio conſtitit. Zvinglii cadaver, carnifici traditum, & crematum eſt. Rurſus hæretici, refecto triginta millibus militum exercitu, validiſque Germanorum ſuppetiis aucti, ità, ut pugnantium numerus quadruplo Catholicos ſuperaret, ſecundam cladem, priore graviorem paſſi ſunt, ſéque adeò profligatos ſenſerunt, ut beneficii loco, pacem acceperint. ùt refert Pallavicinus libro 3. Hiſt. Conc. Tridentini. & Cardinalis Hoſius, in Cenſura, de Adoranda Trinitate. Spondanus ad annum 1531. & alii. Ex occaſione interempti Zvinglii.

Hæreſiarcharum infelix obitus.

Nota, Obſervatum eſſe à Viris doctiſſimis, Hæreſiarchas, plerumque infelici, celeri & infami morte, obiiſſe. Ità Simon Magus, arte Magica volans, precibus S. Petri de ſublimi aëre dejectus, in ſaxo elidens crura, confregit; & paulò poſt, præ nimio dolore, exſpiravit. Manes, qui ſe Manichæum, quaſi effuſorem Mannæ nuncupaverat, à Rege Perſarum arundine

exco-

excoriatus; eò, quòd ejus Filium, quem curaturum ſe promiſerat, occidiſſet. Montanus, ejúſque Bornenſis Catharina, ſeu Maximilla, ſibi laqueo mortem conſciverunt. Arius, manè ſub conſtitutam Diſputationis horam, cùm in Auditorium pergeret, dolore alvei correptus, in latrinis inteſtina cum anima effudit. Neſtorius, terrâ ruptâ coopertus, atque oppreſſus: vel ùt alii ſcribunt: lingua ejus blaſphema à vermibus corroſa, atque ſic inter gemitus & lamenta impius, miſere exceſſit in exilio. Priſcillianus, Abilæ Civitatis in Hiſpania Epiſcopus, à quo Priſcillianiſtæ hæretici exorti, à Maximo Imperatore, Treviris capite plexus. Carolſtadius ; Archidiaconus Vittebergenſis, frater juratus Lutheri, qui primus ex Clero apud Germanos uxorem duxit, primúſque omnium, imagines ex templis Vittebergæ exturbavit, ac primus, ſcriptis libellis, Berengarii errorem ab inferis renovavit, à dæmone abreptus, non comparuit. Lutherus, poſt lautam Cœnam, intempeſtâ nocte, repentinâ morte, ſublatus, ùt narrat Cochlæus, citans pro hac veritate Jonæ aliorúmq; teſtimonia. Calvinus, ulceribus plenus, inſtar Herodis, à vermibus conſumptus, blaſphemans, & execrans, infelicem animam exhalavit. Ex occaſione itèm hujus, quod ſuperiùs diximus, Lutherum fuiſſe concauſam Zvinglianiſmi.

Inter Zvinglium & Lutherum qualis cõjunctio animorum?

Quæri poteſt primò. Fuítne inter Lutherum & Zvinglium animorum concordia? Reſpondetur. Minimè. Nam ùt præter alios refert Spondanus ad annum 1529. & Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini lib. 3. Cum Philippus Lantgravius, quà præſtandi gratiâ, quod in ſe ſuſceperat in Conventu, quà corroborandi concordiâ, vires novam Religionem molientium, contra Catholicos, impenſè ſtuduiſſet inter Lutherum & Zvinglium Controverſias componere: Ad eam rem, congreſſum utriuſque Marſpurgi habendum curavit; qui, menſe Octobri, Anno 1529 initus eſt. Adfuêre hinc Luthe-

rus cùm Melanchthone, Jona, Osiandro, ac Brentio: hinc Zvinglius cum Oecolampadio, Bucero, & Hedione. Colloquium per plures dies productum: Zvinglius vel per lachrymas, conatus fuerat emollire Lutherum, ut idem cum illo sentiret; sed in cassum: quin ex ipsa Zvinglii quasi demissione, arrogantiores Lutherani, palmas, & Epicenia suo Duci decantabant: unde irritati Zvingliani, idem de suo Magistro, supra Lutherum, jactitabant.

Lutheri & Lutheranorum judicium de Zvinglio, Calvino, Carolstadio.

Quæri potest secundò. Quidnam Lutherus & Lutherani sentiant de Zvinglio, Calvino, Carolstadio, & universim de Sacramentariis? Respondetur: patere id, ex iis censuris, quarum aliquas innuo. Lutherus (ùt refert Prædicans Schmidelinus folio 89. in Colloquio Hertzbergensi) dixit de Zvinglio, quòd sit septuplo se ipso nequior factus, quàm cùm esset Papista. Et ipse Lutherus Tomo secundo Epist. Lat. ad Lincum fol. 324. scribit. *Neque doceri aut disputari potest, absque Dialectica saltèm naturali, in qua Zvinglius sic est rudis, ut asino queat comparari. Ego van loquos istos homines* (idest Zvinglium & Sacramentarios) *statui relinquere, & finem facere scribendi contra eos, quòd videant, tantam Logicæ ignorantiam in illis regnare, ut impossibile sit, etiamsi naturaliter errarent, eos posse doceri, aut ad metam confutationis adigi.* Et in libro de verbis Cœnæ, Lutherus ait. *Moneo, ut non aliter caveant sibi omnes à Zvinglio, quàm à Satanæ veneno. Sacramentarii, Zvingliani, sunt Verbi Dei corruptores. Idololatræ: diabolicas cogitationes circumferentes, blasphemi, deceptores. Maledicta sit, in omnem æternitatem cum illis charitas, & concordia: eò, quòd talis concordia, non solùm Ecclesiam misere dilacerat; verùm etiam, more diabolico, irridet, & tam illiberaliter aspernatur. Sacramentarii, mihi Dominum meum JEsum Christum, & Deum Patrem, in verbo suo trucidant: Et Matrem suam, Sanctam Ecclesiam, unà cum fratribus meis, mactant; méque jugulare quærunt. Obtestabor Deum, & totum mundum; & confitebor; quòd cum Sacramentariis non sentiam, neque unquam senserim, neque in æternum,*

Deo

Deo volente, ſenſurus ſim; illi, animas, venenô, à Chriſto abigunt, ſeducunt, & mactant. Nec tam ad ipſos reſpicio; quàm ad eum, qui per eos loquitur, diabolum puto; quando quidem & illi me Cacodæmonibus plenum judicant. In Epiſtola itèm ſua ad Albertum Marchionem Brandeburgicum, in Pruſſia Ducem, ſcribit. *Moneo, & poſtulo, velit Sacramentarios vitare, nec eos in ditione ſua ferre: nam illud neceſſe eſt, ut ſecum reputet; Si permiſerit, in ſuis terris, verſari ſectarios ejuſmodi, cùm prohibere poſſit, quòd multum gravabit conſcientiam ſuam, ac vix eam unquam tranquillare poterit.* Itèm Sacramentarios, vocat Satanæ Miniſtros, mendaces; imò ipſum mendacium. Et alibi. *Hæreticos* inquit, *ſeriò cenſemus, & alienos ab Eccleſia Dei eſſe, Zvinglianos, & Sacramentarios omnes, qui negant, Chriſti Corpus, & ſanguinem ore carnali ſumi, in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento. Doctrina Zvinglii, & Sacramentariorum, Currus eſt; quo innumeræ animæ ad infernum deducuntur. Sacramentarii, ſunt perdiabolati, ſuperdiabolati, transdiabolati hæretici.* In Colloq· lib. de hæreticis.

A Carolſtadio (inquit Lutherus in libro contra cœleſtes Prophetas) *fallaci illo Spiritu, quicunque poteſt, caveat, hoc Svadeo. Eſt furioſus & inſanus, eſt Corporeus dæmon. Carolſtadius eſt adeò impius; ut non credat vel in cœlis Deum ullum exiſtere,*

Bucerus ait: *Calvinus, in Idolum quoddam transformatur: eſt impiè audax; falſus accuſator; rabidus fratricida.*

Heſhuſius dicit: *Calvinus, eſt Epicureus, effrenis & impudens ſicophanta: ludit in enarratione divinorum Oraculorum.*

Andreas Schmidelinus libro contra Grynæum, ait: *Calviniſmus, Arianiſmus, & Machometiſmus, fratres ſunt & ſorores tres; caligæ ejuſdem panni. Camarina, in quam multæ hæreſes confluxerunt: ultima Satanæ ira.* Et Ægydius Hunnius in libro ſuo, cui titulus; Calvinus judaizans, dicit: *A Calvino, acuto diaboli inſtrumento, longiſſima & latiſſima via ſtrata eſt ad Arianam hæreſim. Plurima ſcripturæ ſacræ loca, deteſtandum in modum, corrumpere ille non exhorruit.*

Brentius inquit: *Zvinglii Maximæ, ſive Regulæ, diaboli ſunt regulæ,*

læ, quæ si locum habeant, brevì Machometismus introducetur. Lutherus de Oecolampadio scripsit, Eum à Dæmone fuisse suffocatum.

Judicium è contra Zvinglii Calvini, Carolstadii, & Sacramentariorum, de Luthero & Lutheranis.

Quæritur tertiò. Quidnam etiam, è contra Zvinglius, Calvinus, Carolstadius, & Sacramentarii sentiant de Luthero, & Lutheranis? Respondetur: intelligi sufficienter posse, ex his. Zvinglius Tomo 2. Epist. ad Esling. dicit: *Lutherus, est falsus Propheta, scurra, sue fœdior, pessimus hæreticus, impostor, Marcione pejor.* Et in Responsione ad Lutheri librum, de Sacramento, ait: *Lutherus est incorrigibilis hæreticus, Antichristus, Christi negator.*

Zvingliani in libro, quem ediderunt anno 1527. scribunt: *Lutherus, est Cerevisiarius Papa, Antichristi nepos, Pseudo-Propheta, Carnifex Christi.* Tigurini Ministri, post necem Zvinglii, sui Apostoli, & Pastoris in libello à se edito anno 1545. contra Lutherum, ajunt: *Lutherus sua quærit; pertinax est; insolentiâ nimiâ effertur: in omnibus correptionibus ejus, plurimùm maligni spiritûs, minimùm verò amici, & Paterni animi deprehenditur.*

Calvinus in libello, cui titulus. Ultima admonitio ad Joachimum Vestphalum (Prædicans is erat famosus, Lutheri defensor acerrimus) & Lutheranos, qui Calvini dogma, de Eucharistia rejecerunt, dicit: Sic esse errore suo fascinatos; ut, quod pueris in Catechismo traditur, nesciant: vocat eos brutos homines; nec guttam quidem ingenui pudoris eis inesse; esse vertiginosos Cyclopes, Latratores, phreneticos; bestias, protervos, fastuosos, pertinaces; gloriatur idem secum de Eucharistia sentire Melanthonem; quem non magìs à se, quàm à propriis visceribus, in hac causa, divelli posse, scribit.

Carolstadius dicit: à Luthero, non Christum Crucifixum; sed alium imaginarium prædicari. Campanus, Zvinglium defendens; ait: *Quàm certum est Deum esse Deum; tam certum est, Lutherum, Doctorem esse à diabolo obsessum.*

TRA-



TRACTATUS SECUNDUS.

Exponuntur admiranda Calvini mendacia : admiranda itèm ejus ſuperbia, Maledicentia, & Impietas : demum admirandè erronea ejus Geſta.

CAPUT I.



Sſero primò. Admiranda ſunt Calvini Mendacia.

PRobatur. Quis enim veritatis amans, & prudens Lector non ſummè admirabitur & execrabitur infrà connotatam (aliis plurimis brevitatis causâ prætermiſſis) Æneadem horrendorum Calvini mendaciorum, quorum ferè ſingula, plurimis aliis craſſis pſeudologiis conſarcinata ſunt ?

De Pontificibus Romanis, Mendacia crassa Calvini.

Primò. Libro 4. Instit. cap. 7. §. 27. *Ad Homines autem* (inquit) *si veniamus, satìs scitur, quales reperturi simus Christi Vicarios; Julius scilicet, & Leo, & Clemens & Paulus, Christianæ Fidei columnæ erant, primìque Religionis interpretes, qui nihil aliud de Christo tenuerunt, nisì, quod didicerant in Schola Luciani. Sed quid tres aut quatuor Pontifices numero? Quasi verò dubium sit, qualem Religionis speciem, professi sint, jam pridem Pontifices cum toto Cardinalium Collegio, & hodie profiteantur: primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput est: Nullum esse Deum. Alterum, Quæcunque de Christo scripta sunt, ac docentur, mendacia esse, & imposturas: tertium, Doctrinam de futura vita, & ultima Resurrectione, meras esse fabulas. Jam pridem hæc ordinaria esse cœpit Pontificum Religio: Hócque notissimum est omnibus, qui Romam noverunt.* Et in Commentario suo super Acta Apostolorum Cap. 17. dicit: *Pro mero ludibrio à Papa & Papistis omnibus ducitur, dum scriptura sacra in medium adducitur.* O mendaciorum portentum, omnésque prudentiæ fines longissimè transcendens calumnia! Audi saltèm Calvine, quid nam ipse Lutherus (quem Opusculo Theolog. pag. 1147. Restauratorem Religionis Christianæ vocas) ad Leonem Papam, quem tu adeò enormiter calumniaris, scripserit, adhuc Anno 1520. 6. Aprilis, exstat hæc Epistola Tomo secundo Lutheri Epist. 166. *Celebratior, & augustior est in omni terrarum Orbe, tot tantorúmque virorum literis cantata opinio, & Vitæ tuæ inculpatæ fama; quàm ut à quovis vel maximi nominis possit quavis arte impeti. Non sum tam stultus; ut eum incessam, quem nemo non laudat.* Quàm ergo judicio ipsius Lutheri stultissimus Calvinus, qui ausus est, adeò Calumniosè incessere Eum, quem nemo non laudat.

Mendacium de Joanne Vigesimo secundo.

Secundò. Ubi supra §. 28. *Joannes Vicesimus secundus palàm asseruit, animas esse mortales, unàque cum corporibus interire, usque ad diem resurrectionis. Atque ut videas totam sedem, cum præcipuis suis fulturis, tunc prorsùs concidisse: nemo Cardinalium, huic se tantæ insaniæ opposuit: sed schola Parisiensis, Regem Galliæ impulit; ut ad palinodiam, homi-*

hominem cogeret. Rex ejus communionem suis interdixit, nisi mox resipisceret: idque de more publicavit per Præconem : Hac necessitate adactus ille errorem abjuravit. In margine autem apposuit Calvinus. *Testis Joannes Gerson, qui tunc vivebat.* In hac brevi narratione Calvini, quinque notoria mendacia contineri, rectè annotavit Bellarminus cum aliis: primum mendacium. quòd Gerson vixerit sub tempus hujus Joannis, Nam is obiit anno 1334. Gerson verò modò primùm natus, anno 1363. ùt constat ex Trithemio, Onuphrio & aliis Historicis. Secundum: Quòd Gerson testetur, Joannem palàm asseruisse, animas humanas esse mortales; unáque cum corporibus interire: id enim nec Gerson, nec Guilielmus Ockam, licèt Joanni infensissimus, nec ante Calvinum ullus scripsit ex Historicis, nè quidem virulentissimi illi hæretici, Vicleffus, Huss, & alii. Conceditur, Joannem Papam sensisse, animas Beatorum non visuras Deum ante resurrectionem corporum ; id enim necdum definitum fuerat tunc ab Ecclesia ; Et hoc solùm testatur Ockam in opere suo 93. dierum, Et Gerson in sermone de Paschate ; sed negâsse immortalitatem animæ, nullus unquam asseruit. Tertium mendacium est : neminem Cardinalium se opposuisse Joanni Papæ : constat enim ex Villano Historico, qui tunc vivebat, majorem partem Cardinalium oppositum sensisse Joanni. Quod idem colligitur ex Decretali Benedicti XII. qui immediatè successit in Pontificatu Joanni 22. Quartum est: Quòd Rex communionem suis interdixerit, nisi mox resipisceret. Villanus enim lib. 10. cap. ultimo, tantùm testatur, Regem scripsisse ad Papam reverenter & amicè, eúmque monuisse, ut caveret ab illis opinionibus, quæ videntur suspicionem erroris ingenerare posse. Quintum Mendacium est, quòd Papam coëgerit Rex ad palinodiam. Scripsit hoc paulò ante Calvinum etiam Erasmus, sed uterque mentitus est : cùm id nullus ex antiquis Scri-

ptoribus afferat. Hoc certum, primò. Nullam Conſtitutionem reperiri, in qua Joannes tanquam fidei, Dogma, opinionem illam ſuam (quòd nempe Animæ Juſtorum non admittantur poſt mortem ad Viſionem beatificam ante reſurrectionem corporum) admitti à fidelibus voluerit. Certum ſecundò: Quòd ipſemet Joannes, cùm videret hac ſua novellà Opinione turbari Galliam, indignarique, vocato Cardinalium, Prælatorum, Doctorúmque cætu, qui Avenione morabantur, proteſtatus eſt, (ùt ſcribit Villanus libro 10. cap. ultimo. Vadingus ad annum 1333. & alii) ſe quidquid pro ſua Opinione hactenus dixerit, non definiendi, ſed veritatem examinandi inquirendique cauſa, à ſe dictum eſſe. Certum tertiò: Quòd anno 1334. tertiâ Decembris, idem Joannes morti vicinus, editâ ultimâ Conſtitutione, profeſſus eſt: Juſtorum Animas ſtatim, ùt peccatorum reliquiis purgatæ ſunt, in Cœlum admitti, ubi beata DEI Viſione perfruuntur: & hanc ſententiam ſe habere, & ante hac habuiſſe: quæ verò de hac re præteritis annis dixerit, omnia Eccleſiæ, ſuorúmque ſucceſſorum Pontificum judicio, ſubjecta velle: Id ſcribit præter alios, Joannes Villanus libro 11. Hiſtoriæ de rebus Florentinorum capite 19. teſtatúrque ſe illam retractationem habuiſſe à Fratre ſuo, qui in Aula ejuſdem Joannis Papæ degebat.

Nota, Vittakerum Calviniſtam errare, dicendo: quòd ante tempora hujus Joannis, jam fuerit ab Eccleſia definitum, Beatorum animas videre Deum ante Reſurrectionem. Hoc indubitatum, illam Veritatem poſt longas Diſputationes, eſſe definitam à Benedicto XII. Succeſſore immediato Joannis Papæ: itèm definitam in Concilio Florentino Seſſione ultima, & Tridentino Seſs. 25. Hac tamen definitione Eccleſiæ non obſtante, auſus eſt docere oppoſitum Calvinus. Vide infra Tractatu 3. cap. 5.

Tertiò.

Tertiò. Calvinus in Explanatione Epiſtolæ 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. *Quisquis à Scriptura edoctus erit, quænam Deo maximè ſint propria ; & ex adverſo intuebitur, quid ſibi Papa uſurpet, etiamſi puer ſit decennis, non multum laborabit in noſcendo Antichriſto: quòd ſcilicet Papa ſit Antichriſtus.* Notârunt Theologi graviſſimi, Leſſius, Valentia, & alii, longáque inductione conſtat : Conſvetum eſſe Hæreticis, ut dum aliquod grande paradoxum ſtatuunt contra Orthodoxos, pleno ore clamare id eſſe clariſſimum, etiam Idiotis, & ipſis pueris : quod & hic facit Calvinus. Si & decenni puero facile eſt nôſſe, Papam eſſe Antichriſtum ? cur id tot retroactis ſæculis, hucuſque ignorat Univerſus Orbis Orthodoxus ? Nôrunt bene SS. Patres antiqui, & Concilia Oecumenica : nôrunt celeberrimæ Chriſtianæ Academiæ ; & doctiſſima ſapientum Collegia ; nôrunt Reges & Principes Catholici, quænam ſint Deo maximè propria : itèm nôrunt, quæ ſibi uſurpet Papa : hucuſque tamen non tantùm non agnoverunt, Papam eſſe Antichriſtum, ſed ſemper firmiſſimè aſſeruerunt, & aſſerunt, Eum eſſe Caput viſibile, & Paſtorem Univerſæ Eccleſiæ. Ità è Patribus S. Irenæus lib. 3. cap. 3. S. Athanaſius in Epiſt: ad Felicem Papam ; S. Baſilius Epiſt. 52. ad Athanaſium ; Chryſoſtomus Epiſt. 1. ad Innocentium Papam. Ambroſius in cap. 3. primæ ad Timotheum. Hieronymus in Epiſt. ad Damaſum ; Auguſtinus Epiſt. 162. & Epiſt. 92. ad Innocentium Papam. Anſelmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. & alii. Ex Conciliis ; itèm Concilium Generale Chalcedonenſe, Actione 1. 2. & 3. & in Epiſt. ad Leonem. Concilium Nicænum ſecundum Actione ſecunda. Lateranenſe ſub Innocentio 3. cap. 5. Florentinum & alia. Imò & Concilium Nicænum primum, Canone 39. dicit: Quòd *Romanus Pontifex ſit Pater omnium Epiſcoporum, & alii Filii ejus: ſit Princeps, Patriarcha, cui data eſt pote-*

Mendacium de Papa

ſtas in omnes Principes Chriſtianos & omnes Populos eorum, ut qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ. Audi Calvine & Mellifluum Doctorem Bernardum; utique eum ipſe vocas virum Sanctum lib. 4. Inſtit. cap. 7. §. 22. Et alibi, pium Scriptorem, audi inquam verba ejus lib. 2. de Conſideratione ad Eugenium Papam. *Age, indagemus adhuc diligentiùs, quis ſis, quam geras, videlicet pro tempore, Perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, ſummus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum - Poteſtate Petrus, Unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii Cœli Janitores, Gregúmque Paſtores; ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditâſti. Habent illi ſibi aſſignatos Greges, ſinguli ſingulos: tibi univerſi crediti, Uni omnes. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus: tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt.* Ibidémque Eugenium vocat *Vicarium Chriſti.* Vide plura contra prædictum mendacium Calvini, in Admirandis Lutheri, Tractatu 3. cap. 5.

De S. Leone Magno. Quartò. Libro 4. Inſtit. cap. 7. §. 11. *Leo Papa fuit Vir, ut eruditus ac facundus; ità gloriæ & dominationis, ſupra modum cupidus. Multi ejus ambitione offenſi, ejus quoque cupiditati reſtiterunt,* Quis unquam ex probatis Scriptoribus hanc ignominioſam notam inuſſit Eutychianorum debellatori; Neſtorianorum triumphatori, toto Orbe Chriſtiano celebratiſſimo Pontifici? Illéne gloriæ & dominationis, ſupra modum, cupidus? qui Sanctitate, eloquentiâ, Sapientiâ, geſtorum excellentiâ, inter omnes ſuæ ætatis facilè primas tenuit; idcóque à cunctis Chriſtianis, Leo Sanctus & Magnus, dici meruit? Cujus ſingularem vitæ Sanctimoniam, Deus inſigni miraculô demonſtravit, cùm Regem Hunnorum Attilam, crudelem & victoriis elatum, poſt plurimas Regnorum variorum, & ipſius Italiæ, Urbes captas & direptas,

Romæ jam appropinquantem cum ingenti exercitu, à Romanæ Urbis incendio & direptione divina planè vi deterruit? paulóque poſt invadenti Urbem Genſerico, ſumma Sanctitatis opinione, & divinà eloquentià perſvaſit, ut ab incendio, ignominiis, ac cædibus abſtineret? Epiſtolæ, quæ extant, hucuſque variorum Conciliorum, Epiſcoporum, præſertim Galliæ; Imperatorum ad hunc Leonem laudatiſſimum datæ, quibus eximia Ejus probitas & Sanctitas deprædicatur, craſſi mendacii arguunt Calvinum. Quis unquam proborum ei reſtitit? Citat quidem in Margine Calvinus Epiſt. 83. & 85. Sed mendacium adjicit mendacio: nihil enim in illis tale quid invenitur: tantùm in Epiſt. 89. legitur, quendam Epiſcopum Gallum, qui dicebatur Hilarius, voluiſſe ſe ab ejus obedientia ſubtrahere; qui tamen, ùt ibidem legitur, Romam venit ad dicendam cauſam & convictus in Concilio punitus eſt. Quis prudens, Reges aut legitimos judices, ambitionis arguat? ex eo, quòd quis protervè ab eorum jurisdictione conatur ſe ſubtrahere?

Quintò. Libro 3. Inſtit. cap. 4. §. 1. *Scholaſtici Sophiſtæ rem, alioqui non valde implicitam, de Pœnitentia, tot voluminibus involverunt; ut non futurus ſit facilis exitus; ſi te paulùm in eorum fæces immerſeris - ſic ſunt in externis exercitiis mordicus infixi; ut nihil aliud ex immenſis Voluminibus colligas, quàm Pœnitentiam eſſe diſciplinam & auſteritatem, quæ partim caſtigandis puniendíſque vitiis ſerviat: de interiori mentis renovatione, quæ veram vitæ correctionem ſecum trahit: mirum ſilentium.* Quanta calumniis fæculenta mendacia! Sapientiſſimos Doctores Catholicos, vocitare Sophiſtas: doctiſſimas eorum diſputationes, quæſtiones Theologicas de Pœnitentia, appellare fæces! aſſerere, de interiori mentis renovatione, mirum apud eos eſſe ſilentium! Legantur de Pœnitentia, Magiſter Sententiarum, Alenſis, Thomas, Bonaventura, Scotus & alii Theologi Catholi-

Mendacium de Scholaſticis Theologis.

tholici, legatur Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. & in comperto erit, palmariter hìc fuisse mentitum Calvinum. Sed nec opus est, ut quidquam ex dictis legatur: Sufficit ad convincendum mendacii stigmaticum hunc Hæresiarcham, legere ea, quæ ipsemet ibidem sinè ulla interpositione adjecit. *De Contritione quidem* (inquit) *& Attritione, multus apud eos sermo.* Si ergo Catholici Doctores multis differunt de *Contritione & Attritione*, quæ ambæ spectant ad integram animæ vitæque renovationem, & mutationem, quomodo de interiori mentis renovatione mirum silentium? Mendacem oportet esse memorem. Pergit citatô locô Calvinus, dicens. *Sed ubi visi sunt* (nempe Scholastici Doctores) *corda penitùs vulnerâsse; levi cæremoniarum aspersione, totam amaritudinem sanant.* Hoc novum calumniosum mendacium verbis ipsius superiùs refellitur. Utique dixerat? Pœnitentiam nihil aliud esse è sensu Catholicorum, nisi disciplinam & austeritatem, domandæ carni, puniendísque peccatis servientem: Catenulis, disciplinis, jejuniis, precibus, vigiliis, eleemosynis, peregrinationibus, aliísque id genus, corpori permolestis exercitiis, à Sacerdote sibi pro satisfactione impositis, vel susceptis voluntariè, carnem domare. Estne id, levi cæremoniarum aspersione totam amaritudinem animæ sanare? Certè, si tam gravia mendacia & omnes articulos suæ Hæresis, Calvinus Sacerdoti Catholico exposuisset in Sacramento Pœnitentiæ: præter enumerata, longè adhuc acerbiora injuncta ei fuissent, ad Sanandam amaritudinem. Deinde, eodem capite §. 2. dicit: à Catholicis doceri, *justâ & plenâ contritione, peccatorum remissionem emereri.* Et hoc, vero dissonum: Catholici enim cum Tridentino Concilio docent, remissionem peccatorum, nobis per merita Christi gratìs donari: Contritionem verò, esse dispositionem, ad eam recipiendam, non autem causam meriti.

Sextò.

Sextò. De Cæremoniis, in Baptiſmo Catholicæ Eccleſiæ adhiberi ſolitis, tractando, multa congeſſit mendacia craſſa. In Antidoto enim Concilii Tridentini Seſs: 7. dicit: Quòd Concilium Tridentinum approbaverit quoſcunque ritus Baptiſmi, ab hominibus excogitatos, licèt abſurdiſſimos: & quòd credamus, eſſe peccatum mortale, & anathemate dignum, mutare vel minimum in his Cæremoniis: & quòd præferamus ſalem, & Oleum, & ſputum, Aquæ Baptiſmi : *Pluris* (inquit) *in Baptiſmo fit* (apud Romanenſes) *Chriſma, cereus, ſalis ſapor, ſputum denique, quàm aquæ lavacrum, quo tota conſtat Baptiſmi perfectio.* Libro autem 4. Inſtit. Cap. 10. aſſerit, quòd magis æſtimemus humanas cæremonias, quàm Divina Præcepta: cenſeamúſque præcipuum Dei cultum in his cæremoniis conſiſtere : & per has Cæremonias homines juſtificari, & in Chriſti locum quodammodo ſucceſſiſſe. Quis hæc unquam ex Scriptoribus Catholicis aſſeruit? *Mendacium de Cæremoniis.*

Septimò. Libro 4. Inſtit. cap. 19. §. 12. De Numero Sacramentorum, quanta Calvini mendaciorum impudens congeries! audi Lector. *Veteres* (inquit) *dum propriè loquuntur, nuſquam plura duobus Sacramentis, recenſent; Baptiſmum & Euchariſtiam; etiam ipſe Auguſtinus.* Ibidem §. 12. *De manuum impoſitione loquuntur Veteres : an Sacramentum vocant ? Auguſtinus apertè affirmat, nihil aliud eſſe, quàm Orationem.* Et §. 34. *Matrimonium* (inquit) *ùt à Deo inſtitutum; fatentur omnes : ità pro Sacramento datum, nemo uſque ad Gregorii tempora, viderat. Et cui unquam ſobrio in mentem veniſſet?* Et lib. de reformanda Eccleſia ait : *Unctionem, quam ſanandis ægrotis adhibuerunt Apoſtoli, ſicut fatemur fuiſſe Sacramentum; ità negamus ad nos pertinere : quia pro ratione gratiæ, cui ſerviebat, temporale fuit.* Nónne Veteres Patres, ùt Tertullianus lib. de Pœnit. & Lib. de Reſurrect. Carnis & in lib. de Baptiſmo. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 12. & Sermone de Ablut. pedum. Hieronymus contra Luciferian. *Mendacium de numero Sacramentorum.*

ferian. Leo Papa Epist. 90. agendo propriè & disertis verbis de Sacramentis; præter Baptismum, & Euchariſtiam, agnoſcunt etiam Confirmationem, Pœnitentiam, & Ordinem? Nonne Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani Cap. 104. dicit: *Sacramentum Chriſmatis* (id eſt Confirmatio) *in genere viſibilium ſignorum, Sacramentum eſt Sacro-Sanctum, ſicut ipſe Baptiſmus.* Eſtne Baptiſmus impropriè Sacramentum? Et Lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani cap. 13. Ordinem conferendo cum Baptiſmo, ait: *Utrumque Sacramentum eſt; & quadam conſecratione utrumque homini datur: illud cùm baptizatur: iſtud cùm ordinatur; ideoque in Eccleſia Catholica utrumque non licet iterare - utrùmque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat.* Et en Calvinus apertè negat! Idem S. Doctor lib. 1. de adulter. Conjugiis cap. 26. & 28. Sacramentum Pœnitentiæ comparans cum Baptiſmo: *Eadem eſt* (inquit) *cauſa Baptiſmi & Reconciliationis: ſinè quibus Sacramentis, homines credunt ſe non debere exire de Corpore.* Et in lib. 1. de Nuptiis & Concupiſcent. cap. 10. Matrimonium, propriâ notione nominat Sacramentum, inquiens: *Sacramenti hujus res eſt, ut Mas & Fæmina connubiò copulati, quamdiu vivunt, inſeparabiliter perſeverent.* Et in Lib. de Viſit. Infirmorum. Extremam unctionem eſſe Sacramentum aſſerit. Exſtat etiam pro hoc Sacramento in Epiſt. 1. Decretali cap. 8. teſtimonium Innocentii 1. Papæ, qui fuit Auguſtini æqualis; in qua dicit: *Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Preſbyteros Eccleſiæ. Quod non eſt dubium, de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui Sanctô oleô, Chriſmatis perungi poſſunt. Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia Genus eſt Sacramenti: Nam quibus reliqua Sacramenta negantur; quomodo unum Genus putatur poſſe concedi?* S. quoque Proſper, Auguſtini Diſcipulus, lib. 2. de Prædeſt. cap. 29. ait: *Anima, Sacramentô farris* (Euchariſtiam intelligit) *& olei unctione munita, ſecura exſpectat.* Scribit S. Bernardus in Vita S. Malachiæ: *S. Mala-*

chiam Episcopum, vocatum fuisse ad virum nobilem in vicinia Benchorensis Monasterii, ut illius uxorem morituram inungeret Sacrô oleô : sed dum differtur Unctio, illam exspirâsse : indoluit Sanctus Præsul, putans suâ culpâ id factum, quòd sinè gratia hujus Sacramenti obiisset; quare tamdiu amarè flevit, & oravit; donec defunctæ vitam, à Deo impetravit. *Quid plura,* (inquit Bernardus) *aperit oculos, quæ fuerat mortua, super lectum se erigit & agnito Malachia, inclinans devotè salutat eum. Sed & Malachias gratias agens, benedixit Dominum, & unxit eam, sciens in hoc Sacramento remitti peccata: Quòd Oratio Fidei salvet infirmum. Post hæc abiit ille, & illa convaluit.* Hinc patet, usum hujus Sacramenti, ætate etiam S. Bernardi, passim fuisse apud omnes Christianos : falsúmque esse illud Calvini dictum : Hoc Sacramentum ad nos non pertinere, & fuisse temporale. Si itèm fuit temporale? recense annum aliquem Calvine, quo usus hujus Sacramenti in Ecclesia esse desiit ?

Octavo. Libro 4. Instit. cap. 17. §. 28. Tractando de Sacra Christi Cœna, seu de Eucharistia, ausus est Scribere : *Augustinus, sinè controversia, totus est noster.* Idem mendaciter jactant & alii Calvinistæ. Verùm eos, cum suo Calvino enormiter mentiri, verissimè asserunt, non tantùm Catholici, sed & Lutherani ; Certum enim enim est, vix aliquem esse ex SS. Patribus antiquis ; qui clariùs & sæpiùs tradat, veram esse realémque in Eucharistiæ Sacramento præsentiam Corporis Christi, quàm Augustinus. Plurima ex ejus omnibus & singulis decem Tomis, affert testimonia pro hac veritate Catholica, Bellarminus. Ego breviter, duo tantummodo innuo, desumpta ex Tomo 8. S. Doctor in Psal. 33. Conc. 1. dicit: Christum Dominum, cùm in ultima Cœna institueret Sacramentum Eucharistiæ, consecratúmque Panem porrigeret Apostolis ; inauditô mi-

Mendacium de sacra Eucharistia.

raculô, vix ab ullo intelligibili, se suis manibus gestâsse. *Ferebatur* (inquit) *Christus in manibus suis, quando, commendans ipsum Corpus suum, ait: Hoc est Corpus meum: ferebat enim illud Corpus in manibus suis.* Superiùs autem dixerat: Ut quis possit ferri in manibus suis, quis intelligat? quomodo id fieri potest. Fuissètne autem grande miraculum, vix intelligibile? si Christus tantummodo sui figuram, imaginem, vel signum, manibus suis gestâsset? Utique facilè est cuivis, sui corporis imaginem, vel figuram, suis manibus circumferre? Itèm explicans illud Psalmi 98. *Adorate scabellum ejus.* dicit: *Quæro, quid sit Scabellum pedum ejus? & dicit mihi Scriptura. Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum; quia ipsum quæro hìc, & invenio; quomodo sinè impietate, adoretur terra, sinè impietate adoretur Scabellum pedum ejus, suscipit enim de terra terram; quia Caro de terra est; & de Carne Mariæ, Carnem accepit. Et quia in ipsa carne, hìc ambulavit; & ipsam Carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam Carnem manducat, nisì priùs adoraverit: inventum est, quemadmodum adoretur tale Scabellum pedum Domini; ut non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Idem S. Antistes in Missæ Sacrificio, censet offerri verum Corpus Christi. Lib. enim 4. de Trinit. cap. 14. *Quid* (inquit) *tam gratè offerri & suscipi posset, quàm Caro Sacrificii nostri, Corpus effectum Sacerdotis nostri?* Et lib. 2. Euang. Quæst. q. 3. Dans rationem, cur Christus jusserit leproso, ut Sacrificium pro sua emundatione offerret, secundùm ritum Moysis ait: *Quia nondum institutum erat hoc Sacrificium Sanctum Sanctorum, quod Corpus ejus est.* Libro etiam 9. Confess. cap. 12. & 13. Eucharistiam dicit esse *Sacrificium pretii nostri, & in altari dispensari victimam, quâ deletum est Chirographum pretii nostri.* Et in Libro quem de cura pro mortuis agenda conscripsit, clarè docet, Animas in flammis purgatorii positas, Missæ Sacrificiô relevari: Ser-

ri: Sermone itèm 32. de Verbis Apostoli ait: *Hoc à Patribus traditum, Universa observat Ecclesia; ut pro eis, qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium locô suô commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* Quâ igitur fronte Lib. 4. Instit: cap. 18. §. 1. ausus est scribere Calvinus: Augustinum sinè controversia, totum esse suum: addendo impie: *Pestilentissimum esse errorem, credere, Missam sacrificium & Oblationem esse?*

Nonò. Eliminandum esse cultum Sacrarum Imaginum, persvadere Calvinus intendit ex Scriptura prohibente colere simulacra. Quia verò Catholici bene respondent, prohiberi solummodò cultum, qui tribuitur simulacris, tanquam diis: Calvinus volens infringere hanc responsionem, ea congerit, quæ mendaciis plena sunt. Dicit enim Lib. 1. Institut. cap. 11. Primò, *Judæi, & Gentiles non vocabant Idola sua Deos.* Secundò, *Judæi* (faciendo vitulum) *non erant tam incogitantes, ut non meminissent, Deum esse, qui eos eduxerat de terra Ægypti.* Tertiò, *Deum æternum, Judæi, unum verúmque Cœli & terræ Dominum, sub talibus simulacris persvasi erant se colere.* Quartò dicit, quòd Ethnici non putârint, Idola esse Deos. *Nec ità* (inquit) *stupidi fuisse Ethnici credendi sunt; ut non intelligerent, Deum alium esse, quàm ligna & lapides.* Sextò, *Quod Papistæ, qui Christiani haberi volunt, tales fornicationes, cum ligno & lapide, patrant, ùt olim Judæi, & Gentiles.* Alibi autem, nempe in Libro de Necessitate reformandæ Ecclesiæ, dicit: *Papistæ, non solùm Sanctos, locò Christi adorant; sed etiam eorum Ossa, vestes, calceos, & simulacra.* Antequam respondeam. Nota. Calvinum hanc suam propositionem, sextam & quintam, mutuâsse (ùt constat ex S. Hieronymo) à Vigilantio Hæresiarcha; à Manichæis itèm, quorum nomine quondam infelicissimus Faustus Manichæus objiciebat Catholicis, ùt testatur S. Augustinus contra Faustum lib, 20. cap. 4. *Idola* (inquit Faustus)

Mendacium, de Cultu Sacrarum Imaginum & Reliquiarum &c.

Faustus) *vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis.* Mutuâsse itèm à Juliano Apostata, ùt patet ex S. Cyrillo Lib. 6. contra eundem. Sed has & suprà positas omnes propositiones Calvini, mendacissimas esse demonstro; incipiendo à sexta & quinta ejus propositione. *Quis Catholicorum? ô insanum caput* (verbis loquor S. Hieronymi contra Vigilantium cap. 2.) *aliquando Martyres adoravit? quis hominem, putavit Deum?* vel purum hominem, locò Christi Domini veneratus? *Colimus Martyres* (verba sunt S. Augustini Lib. 20. contra Faustum cap. 21.) *eo cultu dilectionis, & Societatis, quo & in hac vita coluntur SS. homines Dei - At illo cultu, qui græcè λατρεία dicitur; Latinè, uno verbo dici non potest; nec colendum docemus, nisì unum Deum.* SS. *Martyres* (ait S. Cyrillus respondens Juliano Lib. 6. contra Julianum) *neque Deos esse dicimus, neque adorare consvevimus; laudamus autem eos potiùs summis honoribus, quòd pro Veritate strenuè certârunt.* Et Theodoretus Episcopus Cyriæ, S. Cyrilli æqualis, alloquens Idololatras Græcos, dicit Lib. 8. Græcarum Affectionum. *Nos, ò Græci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina ulla deferimus; sed ùt Sanctos homines, Deique amicissimos honoramus.* Quarta Propositio mendax est: nam plurimos ità fuisse stupidos, certum est, credebant enim lignea & aurea sua Idola moveri, loqui, futura prædicere. Unde Prophetæ Psal. 113. & 134. & Baruch. cap. 6: sæpissimè inculcant: Idola argentea, & aurea, non esse Deos; quia non loquuntur, neque vident. Tertiæ Propositionis falsitas sufficienter constat vel ex illis verbis Eliæ. 3. Reg. 18. *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, si Baal est Deus, sequimini illum.* Ergo Judæi colendo Idolum Baal, non colebant Deum verum. In secunda & tertia Propositione, Calvinum mentiri evidenter convincunt clarissimi illi Scripturæ textus, Deuter. 32. *Deum qui te genuit, dereliquisti: & oblitus es Domini Creatoris tui.* Psal. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile, & obliti sunt Deum.* Itèm

Dani-

Danielis quinto. *Bibebant vinum, & Laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ligneóſque & lapideos. Appellaverunt Deos, opera manuum ſuarum.* Sapientiæ cap. 13.

Dicit itèm Calvinus; ſaltèm Imagines repræſentativas DEI, nec faciendas nec colendas: ſiquidem DEUS expreſsè id vetuit Iſaiæ 40. ver. 25. *Cui* (inquit) *ſimilem me feciſtis?* Reſpondetur. Senſum verborum illorum eſſe hunc: Cur Idola & ſimulacra falſa feciſtis Deum veſtrum? Cur ea mihi adæquâſtis, & incommunicabile Nomen meum, meámque Potentiam eis attribuiſtis. Proinde ruit Objectio Calvini.

Lutherus, Patriarcha Novatorum in lib. ſuo contra Emſerum ſcripſit hæc: *ſi ſemel deprehenderer mentitus, jam tota mea Doctrina, & honor & fides, & fidelitas, finem penitùs haberet; unusquiſque me pro nequam & infami nebulone, ùt æquum eſt, habiturus eſſet.* Et en Calvinus, hìc: Lutherus etiam alibi (ſcilicet ùt Oſtendi in Admirandis Lutheri Tractatu ſecundo cap. 1.) Adeò patenter plurimorum enormium, & calumnioſorum mendaciorum, convictus eſt, & adhuc Reſtaurator veræ & ſacræ Fidei prædicabitur? Nonne æquum eſt, palàm & ingenuè profiteri, eum fuiſſe hominem nequam, infamem, nebulonem, impoſtorem, mendaciloquum? Fuiſſe inſignem Hæreticum? Utique quarti modi proprietas hæreſeos, & hæreticorum, præſertim hæreſiarcharum, eſt mendacium? & quidem non qualecunque, ſed mendacium blaſphemiæ contra Chriſtum, Eccleſiam, ejúſque legitimos Paſtores; contra ejus doctrinam, & Sacramenta: omnis enim hæreſeos primarius autor eſt diabolus, Pater mendacii, & ſummus hoſtis Eccleſiæ Chriſti.

CAPUT II.



Sfero secundo, Admiranda est Calvini superbia.

Superbia, Mater Hæresum.

CAlvinus in lib. de Scandalis ait: *Verè Augustinus, superbiam nominat hæresum omnium Matrem, nullus enim unquam exstitit erroris Magister, quem non prava ambitio, in suum præcipitium extulerit. Scimus Deum, parvulis, fidum esse Doctorem: Scimus, Christum, humiles mansvetos ad se vocare, ut eos habeat discipulos. Proinde qui arrogantiâ turgent, eos non mirum est, ab hac Schola pulsos, vagis suis speculationibus, sursum ac deorsum raptari. Quotquot hac nostra ætate, à pura Evangelii doctrina prolapsi, falsorum dogmatum cœperunt esse Auctores, reperiemus omnes superbiæ morbô correptos.* Indubitatúmque inter alias, notam hæreticorum, multò magis hæresiarcharum, esse arrogantiam. patet Inductione, in Valentino Hæresiarcha: ùt scribit Tertullianus contra eundem cap. 4. In Marcione, Sabellio, Aërio, ùt testatur S. Epiphanius hæresi 42. & 57. & 75. In Montano, Ario, Nestorio, ùt refert Theodoretus, hæreticarum Fabul. lib. 3. & 4.

Ingens arrogantia Calvini scriptis & factô exhibita.

Hoc morbo, quàm graviter correptus fuerit ipsemet Calvinus, patet ex sequentibus. Unus Sacellanus, Noviodunensis Ecclesiæ & Apostata; *elatus opinione, acutus linguâ, & armatus labiis* (ùt & de Aërio hæresiarcha scripsit Hæresi 75. S. Epiphanius) ad Tribunal suum accersit totum Christianum Orbem: Sanctósque veteres Patres, & Doctores Orthodoxos: Concilia Oecumenica, & legitima, retroactis sæculis acta: & quàm impiam in ea ferat sententiam & censuram, in suarum Institutionum libris (qui velut Talmud vel Alcoranus quidam

dam ſunt Calviniſtarum) quos Baſileæ, anno 1536. impreſſit, ætatis ſuæ 33. audiamus.

Lib. 3. Inſtit. cap. 5. §. 10. *Ante mille & trecentos annos, uſu receptum fuit; ut precationes fierent pro defunctis* – ſed abrepti Veteres fateor in errorem fuerunt: nempe ut inconſiderata credulitas privare judiciò ſolet hominum mentes - *Monicam Matrem ſuam, in libris Confeſſionum, Auguſtinus narrat vehementer rogâſſe; ut ſui memoria in peragendis Myſteriis fieret ad Altare: Anile ſcilicet votum, quòd Filius non exegit ad normam Scripturæ: ſed pro naturæ affectu probari aliis voluit.*

Lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 38. *Parùm autem mè movent; quæ in Veterum Scriptis, de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam ſimpliciter, omnes ferè quorum libri exſtant) aut hac in parte lapſos eſſe; aut nimis aſpere ac durè locutos.*

Lib. 2. Inſtit. cap. 2. §. 4. & 8. *Nimis Philoſophicè hac de re* (de libero nempe arbitrio) *locuti ſunt, qui ſe Chriſti jactabant eſſe Diſcipulos: nam quaſi adhuc integer ſtaret homo, ſemper apud Latinos, Liberi arbitrii Nomen exſtitit: Græcos verò non puduit, multò arrogantius uſurpare vocabulum, ſiquidem αὐτεξούσιον dixerunt: acſi poteſtas ſui ipſius penes hominem fuiſſet. Ego verò, neque ipſe hujuſmodi vocem uſurpare velim; & alios ſi me conſulant, abſtinere optârim.*

Lib. 2. Inſtit. cap. 14. §. 3. Agendo de Perſona Mediatoris dicit: *Atque hìc excuſari non poteſt Veterum error; qui dum ad Mediatoris Perſonam, non attendunt; totius ferè doctrinæ, quæ in Evangelio S. Joannis legitur, genuinum obſcurant ſenſum; ſéque multis implicant laqueis.* Ibidémque docet, Filium Dei, etiam ratione Naturæ Divinæ, eſſe ſubjectum Patri.

Lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 9. *Neſcio, quî factum ſit, ut Poſteritas locum putaret eſſe ſubterraneum, cui affinxit nomen Limbi: ſed hæc fabula, tametſi magnos auctores habet* (Certè magnos habet, quia omnes Patres, tam Græcos quàm Latinos, itèm Concilium Toletanum quartum, & Lateranenſe ſub Innocentio III. & alia: quod

quod ipsum, quò ad Patres non diffitetur Danæus Calvinianus Minister primarius, ùt videre est apud Bellarminum, lib. 4. de Anima Christi cap. 14. Et apud P. Gretserum, in Defensione Bellarmini) *& hodie quoque à multis seriò pro veritate defenditur, nihil tamen, quàm fabula est. Nam concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.*

Lib. 4. Instit. cap. 12. §. 19. & 20. Agendo de Jejunio & Quadragesimæ observatione dicit : *Qua in parte, non in totum excusare audeo Veteres, quin, & superstitionis quædam semina jecerint & occasionem præbuerint, tyrannidi, quæ postea exorta est. Et tunc passim invaluerat superstitiosæ Quadragesimæ observatio: quia & vulgus, eximium aliquod obsequium Deo se in ea præstare existimabat ; & Pastores eam commendabant, pro Sancta Christi imitatione - Mirum est, tam crassam hallucinationem, hominibus acuti Judicii obrepere potuisse. Fuit igitur mera κακοζηλία, & superstitionis plena, quòd titulô ac colore imitationis Christi, jejunium ornabant.* Et paulò infrà §. 23. ait : *Prohibitio conjugii Sacerdotibus, claré ostendit, quàm pestiferæ sint omnes traditiones ; utpote, quæ non solùm orbavit Ecclesiam probis, & idoneis Pastoribus ; sed horrendam invexit scelerum colluviem, multásque animas in gurgitem desperationis projecit. Certè, quòd Sacerdotibus interdictum fuit conjugium, id factum est impiâ tyrannide, non modò contra Verbum Dei, sed etiam contra omnem æquitatem.* Cùm tamen Concilium Carthaginense secundum, celebratum, ùt scribit Doctor Prateolus anno Christi 396. expresšè Canone secundo dicat : *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam, ab Uxoribus se abstineant. ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quóque custodiamus.* Non absimilia loquuntur alia Concilia & Patres Sancti, quos vide apud Bellarm. lib. 1. de Clericis cap 19.

Lib. 2. Instit. cap. 2. §. 4. ait : *Certè, quas retulimus Patrum sententias* (scilicet Chrysostomi, & Hieronymi, de Libero arbitrio) *falsissimas esse, paulò post constabit.* Ibidem in margine, apposuit

posuit hæc: *Philosophiæ profanæ nimius amor in Ecclesia Dei, & nostri notitiam obscuravit.*

Libet hic Calvinum alloqui, verbis (paucis immutatis) S. Augustini, quibus ille quondam, explanans Psalmum 147. usus contra Donatistam Hæreticum: *Unde, quæso, Calvine, judicasti de Orbe terrarum Christiano, ejúsque doctrina tot Sanctorum Patrum, Conciliorum, Ecclesiæque Auctoritate & praxi stabilit. ? damnando illam, tot errorum, falsitatum? In quo foro, ante te Mundus,* totáque Christiana Antiquitas *stetit ? De quo tribunali dicis tu sententiam hanc in Orbem terrarum* Christianum, ejúsque Doctores veteres? *Præsumptione videlicet Cordis tui* admiranda. *Altum tribunal, sed ruinosum.*

Verisimilene est (loquor cum doctissimo Tertulliano de Præscriptione cap. 28) ut tot, ac tantæ Ecclesiæ; tot, ac tanti Doctores & Concilia, *in unam Fidem erraverint - Aliquos Marcionitas & Valentinianos,* (Puritanos, Molliores Calvinistas, Sacramentarios, cum suo Calvino & Zvinglio) *liberanda Veritas* Catholicæ *Fidei exspectabat : interim tot rectiò actis sæculis, perperam Euangelizabatur, perperam credebatur.* Itáne Ecclesia supra Petram ædificata, tot sæculis labefactata fuit, imò corruit, & esse in toto Orbe desiit ?

Insuper documenta admirandæ Calvini Arrogantiæ, ex pluribus, accipe etiam hæc. Sæpe (ùt refert Florimundus Lib. 7. cap. 10.) ille pro Concione, qua poterat maxima elatione vocis in has erumpebat voces: *Vobis ego dixi, & vos scitis, Prophetam me esse, me Spiritum Dei habere. Ego si erro, tu es Deus, qui me propter peccata populi in errorem mittis, & decipis.*

Victor Cajerus, præcipuus olim Calvini Secretarius & Minister, postea, singularì Dei beneficiô, Orthodoxæ Religioni restitutus, in Formulario suo, Reformatæ, quæ prætenditur, Religionis, scribit: *Constat, Calvinum publicè pro Concione & in suggestu, Prophetæ nomen sibi ipsi tribuisse; atque eo dementiæ provectum,*

vectum, ut non Principibus tantùm (intellige præſertim Ducibus Gviſiis.) *verùm etiam Magno Regi* (Carolo IX.) *maledixerit eò, quòd ſuorum ſubditorum mortem, contra illos ulciſci noluiſſet; atque ità excanduiſſe; ut non ſinè gravi ſcandalo & tumultu, pileum è ſuggeſtu projecerit, & nullis, ſolito more, factis priùs precibus, è Concione digreſſus ſit, illud tantùm repetens: Experiemini vos me Prophetam.*

Cum Davide ſe comparat; (cùm Goliatho debuerat hic nimirum elatus hæreſiarcha) *Vocationis meæ* (inquit ille in Præfatione Commentariorum ſuorum ſuper Pſalmos) *initia ſæpe numero in Davidis exemplo, tanquam in ſpeculo contemplatus ſum; & quoties in Prophetæ hujus vitæ curſum intuebar, viam mihi ab illo commonſtrari viſum fuit.* De Vocatione ſua agendo pluries, nunquam mentionem facit Melchioris Volmari, occulti virulenti Lutherani, Græcarum literarum Profeſſoris, & ſui Præceptoris; à quo, virus hæreſeos, pleno ore hauſit: ſed tantùm dicit, *ſe Divinâ Providentiâ* (veriùs, permiſſione) *ad reformandam* (dixiſſe debuerat, deformandam) *Eccleſiam protractum fuiſſe* à Principe tenebrarum. Affirmavit itèm de ſe In Antidoto Conc. Tridentini pag. 374. quòd plus ad Sacram Scripturam intelligendam, adjumenti attulerit, quàm omnes Doctores, qui poſt Papatûs initium, fuerunt. Aſſeruit etiam, ſe eſſe lapidem illum, de quo in Scriptura legitur: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* utpote qui reprobatus à Papa, & Eccleſia Romana, factus eſt fundamentum Eccleſiæ reformatæ. Sed rectè doctiſſimus Cornelius à Lapide inſignis in Scripturam Sacram Commentator, invehitur: Ità (inquit) ſuperbus ille Thraſo audet ſe æquiparare Chriſto, imò Chriſto ſuffurari ſuum oraculum, & titulum. Det ſigna, miracula, prophetias, Scripturas, quæ dedit Chriſtus. Ipſi inſuper Collegæ Calvini, conqueri ſolebant de ejus intolerabili arrogantia & incredibili faſtu.

Ex dictis patet. Typho ſtupendæ & impudentis arro-

gantiæ inflatum fuiſſe Calvinum ; ſiquidem ſe toti Chriſtianæ Antiquitati, populi Chriſtiani Ducibus, & Magiſtris, Eccleſiæ Doctoribus, qui omnibus humanis, diviniſque ornamentis, conſpicui fuerant, legitimiſque Conciliis, anteponit, nihiſque ſe illorum Auctoritate, & doctrinâ moveri ; eóſque omnes erràſſe, impudenter aſſerit.

CAPUT III.



ASſero tertiò, Admiranda eſt Calvini maledicentia.

INter præcipuas hæreſeos, & hæreticorum notas, qualitates, præter ſuperbiam & mendacium, numerari ſolet Maledicentia calumnioſa, & impietas: In ſuperioribus duobus Capitibus, jam ſufficienter demonſtratum eſt, Calvino duas priores notas ſingulariter convenire : nunc in quantam maledicentiam & impietatem effuſus fuerit (quanquam & hæc aliquomodo ex alibi dictis innotuerint) videamus.

Horenda Maledicentia Calvini, adversùs Patres Concilii Nicæni, Tridentini. Itèm adverſùs Sanctos Doctores, & Epiſcopos.

In Lib. adversùs Gentilem, Trecentos & Octodecim, primi Nicæni Concilii venerandos Patres, Orbis Orthodoxi Præſules, & Magiſtros, dicit: in Symbolo durè eſſe locutos & ſtolidam commiſiſſe battologiam, dicendo, Filium ex Patre natum, Deum de Deo, Lumen de Lumine. Sanctiſſimos Patres, Athànaſium, Baſilium, Nazianzenum, Hieronymum, Auguſtinum, & alios, aſſerit, ùt fanaticos nugari, idem docentes cum Concilii Patribus, & quòd Pater æternus communicet ſuam Eſſentiam Filio.

Tridentini Concilii ſapientiſſimos Patres, Chriſtianitatis Florem, audet vocare In Antidoto Concilii Tridentini, quisquilias,

quilias, peccudes, cornutos & infulatos asinos, mendicabula, blaterones & porcos. Itèm. *Sic voces* (inquit alibi) *Episcopos, Episcotos, vel aposcopos: Cardinales, Carnales: vel Carpinales: Canonicos, Cœnonicos: Præpositos, præposteros.*

Veteres multi Patres, ùt Origenes Homil. 13. Hieronymus in Ephitaphio Paulæ: Ambrosius Lib. 2. in Luc. cap. Augustinus contra Judæos cap. 13. Chrysostomus serm. 141. & alibi: Gaudentius Tractatu 8. in Exodum. Bernardus serm. ad Milites templi, cap. 6. Bonaventura & alii Hi inquam omnes Patres, verba illa Isaiæ: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israël autem me non cognovit*: adaptant Christo, in præsepi, inter bovem & asinum reposito, & ab eis, vel ordinariâ & naturali obedientiâ, vel fortè etiam extraordinariâ & miraculosâ aliquâ (ùt vult S. Bonaventura, quem ipse etiam Lutherus & Melanchthon vocant, Virum Sanctum) reverentiâ, agnito, & adorato. Si enim agnus (ùt Sapienter argumentatur Cornelius à Lapide) S. Francisci, flexit genua ad Sacram Eucharistiam: Si feræ Antonium, Paulum, Hilarionem, aliósque coluerunt; Si honorârunt boves, equi & asini, varios Sanctos, ùt constat ex Vitis eorum; quidni bos & asinus in præsepio Christum Infantem repositum, peculiari aliquo cultu honorâsse; eique se inclinando, fænô eum tegendo, halitu suo, eum calefaciendo, aliisque modis serviisse credantur? & licèt hoc ab Euangelistis scriptum non sit; proinde non sit ex fide Divina certum; tamen fide humana, saltèm probabiliter cur credi non potest?

Quid ad hoc Calvinus? reprobat ipse hanc Patrum expositionem, imò In Commentario super Isaiæ caput 1. dicit. *Papistæ, ùt solent genuinum Scripturarum sensum evertere, & in iis nugari; præclaram hìc fabulam commenti sunt: finxerunt enim, boves & asinos, in præsepi, Christum, cùm nasceretur, adorâsse: in quo egregios se esse asinos ostendunt. Atque utinam ipsi asinum, quem fingunt, imitarentur.*

rentur: hoc est saltem asini essent, Christum adorantes, ac non calcitrantes adversùs ejus Majestatem. Censura hæc an non nimiùm superba mendaciter calumniosa, & maledica? S. Melchiadem Papam, quem S. Augustinus Epist. 162. appellat. *Virum optimum, Beatum Patrem Christianæ plebis*: rebellis Apostata Lib. 4. Instit. cap. 19. vocat: *Os Sacrilegum.*

Lombardum, Magistrum Sententiarum, appellat Lib. 3. Instit. cap. 15. §. 7. *Sophistarum Pythagoram*; ejúsque libros, *lacunas*: Sorbonicas Scholas, *Errorum omnium Matres.* Episcopos Orthodoxos, vocitabat: Impostores, Cacodæmones, Antichristos, sceleratorum Duces: adeò maledicentiæ deditus, ut Bucerus, ei licèt amicissimus, familiari Epistola eum castigaturus, *Canem rabidum* vocàrit, *& Scriptorem maledicendi studio infectum.* Vide Spondanum ad Annum 1564. Genevenses etiam inter jocos dicerent; malle se apud inferos esse cum Beza (qui videlicet suis scurrilitatibus & festivis jocis, eos, in mediis flammis exhilarâsset) quàm apud superos cum Calvino. Meritò dictus: Vipera & scorpius.

Impia Calvini Censura in Danielem: in librum Sapientiæ; in Judam Machabæum: S. Paulum: D. Dominicum, & alios SS.

In Commentario suo super Danielem, Hujus Sanctissimi Prophetæ ridet abstinentiam; ejúsque metum pollutionis, quasi puerilem; illámque superstitioni, ac zelo indiscreto adscribit, aítque, Danielem aulicis moribus fuisse corruptum. Quanta Impietas!

Sapientiæ Librum, quem esse Divinum, & Canonicum, testantur & declarant Concilia, Sardicense, Toletanum secundum, Carthaginense tertium, cui interfuerunt ducenti septemdecem Episcopi, inter quos, & S. Augustinus; Florentinum & Tridentinum: SS. itèm Doctores Dionysius Areopagita, Melito, Cyprianus, Cyrillus, Augustinus & alii. Hunc inquam librum, mendacii audet arguere. In illo enim, Auctor hujus libri cap. 14. docet, primos idolorum auctores, fuisse viventium in mortuos immoderatum affectum: Calvinus autem di-

 cit,

cit, hoc esse falsum. *Non concedo* (inquit Lib. 1. Instit. cap. 11.) *hunc fuisse, primum mali fontem, longè enim vetustior est Idolorum Origo, quàm Auctor iste affirmat.* Quod Judas Machabæus ùt legitur 2. Machab. 12. pro mortuis Sacrificium offerri curaverit, improbat id plurimum, dicens lib. 3. Instit. cap. 5. *Superstitione, & præposterô zelô non caruit hoc factum.* Improbat unà cum Judæis, etiam unctionem, Christo factam, à Magdalena. Impudenter nimis & arroganter dicit, non satis exactè dispositas esse antitheses à S. Paulo Apostolo; eúmque docet, quomodo potiùs debuerit antithesum partes inter se opponere. *Quia* (inquit in Explicatione cap. 7. Epist. ad Romanos,) *Dei absolutio, condemnationis & Christi patrocinium, accusationi respondet : ut propterea debuerit Paulus, hæc duo membra sic potiùs inter se opponere: Quis accusabit? Christus est qui intercedit. Quis condemnabit? Deus est, qui justificat: Non enim satìs exactè in suas partes digestæ antitheses videntur.* Et in Epistolam primam S. Joannis cap. 2. v. 14. dicit Repetitiones illas Apostoli: *Scribo Vobis Filioli, scribo vobis Patres &c.* esse superfluas. Lib. 3. Instit. cap. 20. §. 27. ait. *Manifestum est Sacrilegium, si Oratio ad Sanctos dirigatur - Georgius, Hippolytus & Similes* (alii Sancti) *sunt larvæ.* In libro autem de Ecclesiæ reformandæ Ratione, Sanctos appellat, bestias, Carnifices, præsertim S. Dominicum. *Omitto* (inquit) *Dominicum & similes Carnifices.* quem tamen ipsemet Lutherus de Captivitate Babyl. cap. de Baptismo, vocat: Sanctum. Fortè ex eo Divum Dominicum, miraculorum gloriâ, Prædicatione Verbi Divini, & insigni vitæ Sanctimoniâ conspicuum, appellat impius Calvinus, Carnificem: quòd fuerit Inquisitor Hæreticæ pravitatis contra Albigenses. Sed nunquid lupi hæretici non arcendi sunt à Grege, & Ovili Christi, & puniendi? Nunquid tu ipse Calvine non instigâsti, & effecisti, ut Genevæ, Anno 1555. exureretur publicè Servetus? Gentilis verò adigeretur ut nudus, facem ardentem manu gestans, revocaret sua Dogmata erronea?

nea? Hi tamen Novatores ex tua prodiêre Schola, tuíſque principiis, ſcilicet in judicio ſuo proprio, cum contemptu Patrum & Authoritatis Eccleſiæ, ſua ſuperſtruxerunt ſomnia. Aſt, quid mirum, quod adeò maledicus & impius fuerit, in Sanctos, ponendo in cælum os ſuum? cùm malè, imò peſſimè & impiiſſimè locutus fuerit, de Deo ipſo, dicendo, illum eſſe auctorem omnium ſcelerum: Virus itèm impietatis & blaſphemiæ evomuerit in ipſum Chriſtum Dominum, dicendo: eum emiſiſſe vocem deſperationis, pertuliſſéque in anima, pœnas hominis damnati. Vide infrà, in Tractatu tertio cap. 2. & 3. Et fortè in pœnam tantæ impietatis & maledicentiæ, Phthiriaſi graviſſimè afflictus fuit, quo morbi genere crudeles quique tyranni, & impietate inſignes (ùt notarunt Romæus, Sainctes, Bolſecus, & alii multi) in ſcelerum deteſtationem, à Deo puniti fuerunt: Antiochus Epiphanes: ſecundo Machab. cap. 9. Cornelius Sylla; Herodes, Maximinus Imperator; Honorius ſecundus, Vandalorum Rex; Arnulphus Imperator Caroli ſucceſſor, & ſimiles, impietate inſigniores. Scribitur etiam, quòd in extrema infirmitate ſua, graviſſimos Dolores, & aſperrimos cruciatus, quibus excruciabatur, non ferens, diem atque horam execratus ſit, quam unquam ſtudiis impenderat: ulceribúſque toto corpore plenus, graviſſimos fœtores emanans, dæmonibus invocatis, jurans, execrans, & blaſphemans, miſer exſpiraverit.

Quali morte obiit Calvinus.

CAPUT IV.

ASſero quartò, Admirandè ſunt erronea Calvini Geſta.

Quis

Calvinus, sceleris nefandi reus.

QUis præ admiratione attonitus non hæreat? Calvinum nefandi criminis judicialiter convictum, & in pœnam tanti sceleris, Cauteriô candenti lilio, in suo humero inustum, tam graviter licèt infami stigmate notatum, non erubuisse tamen, se constituere & propalare Fidei Christianæ Reformatorem? De crimine tanto convictum, testatur in Vita Calvini, à se conscripta, Hieronymus Bolsecus, Medicus Lugdunensis, conscius secretorum Calvini, utpote olim ejus discipulus: is & sub jurejurando asserit, se vidisse hac de re, testimonium publicum authenticum, apud quendam Bartelier, Senatûs Genevensis secretarium; qui Missus fuerat Noviodunum, ut in vitam & mores Calvini inquireret; & qualis adolescens fuisset, exploraret; retulítque indè dictum testimonium: Testatur itèm Jacobus Laingner Doctor Sorbonicus, in vita Calvini: Surius ad annum 1538. Julius Brigerius, Stapletonus, Campianus, Martyr, Guilhelmus Reginaldus: & præter alios plurimos, etiam Conradus Schlusselburgius Lutheranus.

Accedit ad id comprobandum, primò: Quia, (ùt bene urget Lessius) si ista de crimine nefando & stigmate, vera non erant: cur discipuli Calvini, ea non refutàrunt? Cur inspectionem actorum publicorum, & magistratuum, Genevensis, & Noviodunensis testimonia autentica, non postulàrunt? facilè enim, si falsa erant, refutari tunc temporis, Bolseco vivente, & fortè adhuc etiam superstite ipso Bartelier Secretario, potuissent. Secundò Quia (ùt rectè In Manuductione ad Conversionem hæreticorum cap. 10. §. 3. arguit Thyrsus Gonzalez, Vir, Opinione Sanctitatis, zelô animarum, & magnitudine Sapientiæ laudatissimus, pòst etiam Præpositus Universæ Societatis) Historia de crimine illo, consentanea est aliis Calvini gestis. Nam Bolsecus in Vita Calvini cap. 11. refert: Cùm puer, Calvini Minister, quatuor Francorum millibus, illi subtractis, se in fugam dedisset, & amici illum vellent persequi:

qui: nunquam Calvinum permittere voluisse, nè videlicet comprehensus puer, arcana patefaceret, quæ res ingentem suspicionem movit, ipsum puerô abusum esse. Florimundus itèm, Præses Burdigalensis Lib. 7. de Ortu hæreseon. cap. 9. *Ajunt quidam* (inquit) *& à multis scriptum invenio, Calvinum, magni & detestabilis flagitii à Primario Boncurtensis Collegii Sodali, fuisse accusatum, & ad puerorum querelas, contumaciæ damnatum.* Accedit: Tum quia Theomarus Calvinista, in libro suo, recenset novem turpissimas maculas à suæ sectæ hominibus, Calvino inustas: inter quas numerantur & hæ: quod fuerit Scortator libidinosissimus, iisque manifestus: tyrannidis itèm cupidissimus, & sanguinarius. Tum quia Historia illa est conformis vitæ & moribus, discipulorum Calvini. Ut omittam alios, Beza, Primarius discipulus Calvini, & Calvinismi propagator acerrimus: publicus Matronarum vocitabatur Maritus; totúsque fuit effusus in adulteria, & infandas libidines: ùt graves & plurimi testantur Scriptores, etiam Lutherani; è quorum numero, Conradus Schlusselburgius lib 1. Calvinisticæ Theologiæ, folio 92. ait: *Certò constat, Theodorum Bezam, à pueritia imbibisse vatum impudicitiam, & impudentiam; totámque ætatem explendis suis libidinibus, & cupiditatibus, ac describendis suis amoribus, & ulciscendis suis rivalibus, exercuisse: atque in meretricem, lenam, & Cinædum, transformatum esse. De quo itèm constat & hoc; quòd obscœnissimis verbis scripsit ad Germanum Audebertum Aureliæ, & eundem, tanquam Adonidem à Theodoro Beza factum esse.*

Beza Scelestus

Anno 1538. Geneva ob seditionem, & turbas ibidem à se concitatas, Calvinus expulsus: Bernam primò abiit; postea Argentoratum se contulit ad Urbem Zvinglii erroribus infectam; ubi à Bucero Apostata (quem tamen Calvinus vocat præstantissimum Christi servum) humanissimè exceptus, Idelettam Buriam, Joannis Estordeurii, Leodiensis quondam Civis Anabaptistæ, adhuc integra ætate & formâ

 floren-

Calvinus uxorem ducit. florentem viduam, uxorem duxit. Facinus hoc an non admirandè erroneum ? Utique nuptiæ ejuſmodi, poſt votum ſolemne Caſtitatis per ſuſceptionem Ordinis Sacerdotalis ſuſceptum, cenſentur jxta Sacros Canones, Decreta Conciliorum, & Patrum, & Statuta Imperatorum Chriſtianorum, eſſe Sacrilegæ? Clarè itèm denuntiat S. Paulus 1. Timoth. 5. ejuſmodi, qui fidem Deo datam, ſive promiſſionem, Deo factam per votum Caſtitatis (ùt uno ore, Concilium Carthaginenſe IV. ac SS. Patres explicant) irritam fecerunt, uxorem ducendo vel nubendo, damnationis eſſe reos teſtatur. Vide dicta in Admirandis Lutheri Tract. 3. cap. 8.

Calvinus à quonam miſſus ad prædicandum. Scribit S. Paulus ad Romanos 10. *Quomodo prædicabunt, nisì mittantur?* & Lutherus non malè contra Münzerum Novatorem (quanquam & contra ſimiles, ipſummétque Lutherum, id militat) ſcripſit, Tomo ſecundo Jen. German. in Epiſt. ad Mülhuſianos. *Si quis hujus generis clancularius impoſtor, te adoriatur; ſtatim pete, à quo miſſus ſit? ſi dicat, ſe à Deo, ejúſque ſpiritu miſſum: probet hoc ſignis, ac prodigiis: quia quando Deus ordinarium ſtatum mutare vult; id nunquam ſinè miraculorum interventu facit; ſi dicat, ſe vocatum ab homine: oſtendat literas & legitima teſtimonia; ſi neutrum præſtare queat: ſilentium ei imponatur: quia quoſcunque Deus vocat, aut mittit; eos vocat aut mittit modo ordinario; nimirùm aut ſignis, aut legitimis hominum teſtimoniis.* Et In Cap. 1. Epiſt. ad Galatas. *Deus vocat nos hodie omnes ad miniſterium Verbi, vocatione mediata: hoc eſt vocatione, quæ fit per medium, id eſt per hominem: Apoſtoli verò immediatè vocati ſunt ab ipſo Chriſto; ſicut Prophetæ in Veteri Teſtamento ab ipſo Deo. Apoſtoli poſtea vocaverunt ſuos Diſcipulos, ùt Paulus Timotheum, Titum &c qui deinde Epiſcopos, ùt Tit. 1. Epiſcopi ſuos Succeſſores vocaverunt: ea vocatio duravit uſque ad noſtra tempora; & durabit uſque ad finem Mundi: éſtque mediata; quia per hominem fit, & tamen divina eſt.* Jam quæro, quiſnam Calvinum vocavit; & miſit

ad

ad reformandam (ùt ipse prætendit) Ecclesiam? Non homines, ejus legitimi Pastores, nempe Episcopus, Archiepiscopus, Papa; ùt certum est. Si dicat, quòd Deus ipse immediatè; ostendat signa, miracula, quibus probet se missum à Deo; Ecclesiámque indiguisse ejus reformatione, ac articulis Fidei? Cùm ergo miracula nulla exhibuerit, nec se demonstraverit missum ab Ordinariis Ecclesiæ Pastoribus; & tamen, his stantibus, dixerit, feceritque se esse Reformatorem Ecclesiæ: Nónne id admirandè erroneum facinus?

Quod si responderit (utì defacto respondet in præfatione Institutionum suarum, quas ausus dicare Francisco primo Regi Galliarum. *Quod* (inquit) *miracula à nobis postulant* (Adversarii) *improbè faciunt: non enim recens aliquod Euangelium cudimus; sed illud ipsum retinemus, cujus confirmandæ veritati serviunt omnia, quæ unquam, & Christus, & Apostoli, miracula ediderunt.* Responsio hæc omnino futilis. Tum quia ex dictis etiam in hoc & sequenti Tractatu, evidenter patet satìs, doctrinam ejus repugnare Antiquitati, & Scripturæ Sacræ. Proinde ut à nobis recipiatur, probare tenebatur suam missionem, divinô testimonio extraordinariô. Tum quia hoc fuit semper proprium, & est omnium hæreticorum; ut errores suos pallient verbô Dei scriptô, juxta mentem suam, non juxta SS. Patrum mentem, Conciliorum, & Ecclesiæ, explicatô. Notàrunt hoc pridem Patres antiquissimi. Præclarè Vincentius Lyrinensis, qui floruit Anno Christi 440. *Fortasse* (inquit) *aliquis interroget, an & hæretici divinæ Scripturæ testimoniis utantur? utuntur planè, & vehementer quidem; nam videas eos volare per singula quæque Sanctæ legis volumina; per Moysis, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive in Conviviis, sive in plateis, nihil unquam pæne de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni Opuscula Priscilliani, Eunomii,*

Scripturas Sacras Hæretici obtendunt.

mii, Joviniani, reliquarúmque pestium; cernes infinitam exemplorum congeriem; prope nullam omitti paginam, quæ non Novi aut Veteris Testamenti Sententiis, fucata & colorata sit. Et paulò infrà cap. 37. *Si quis interroget quempiam hæreticorum, sibi talia persvadentem: unde probas, unde doces, quòd Ecclesiæ Catholicæ universalem & antiquam fidem dimittere debeam? Statim ille: Scriptum est enim: Et continuò mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis; quibus, novo & malo more interpretatis, ex arce Catholica, in hæreseos baratrum, infelix anima præcipitetur.* Similia habent Hieronymus in cap. 1. ad Galatas, Augustinus contra literas Petit. lib. 2. cap. 51. Ambrosius in Epist. ad Tit. cap. ultim. & alibi; & ante illos, Tertullianus de præscript. cap. 15. & 40. Irenæus lib. 5. ac Origines etiam Homilia 31. in Lucam ait: *Sic legit Scripturas Marcion, ùt diabolus: Sic Basilides, sic Valentinus, & cum diabolo dicerent Salvatori: Scriptum est, quia Angelis suis &c.*

Sic Arius, ad palliandum suum errorem, quadraginta ex Scriptura textus produxit; quibus adstruebat, Filium non esse Consubstantialem Patri. Et Maximinus Episcopus Arianus ad S. Augustinum (ùt ipsemet Sanctus Doctor refert lib. 1. contra Maximinum) dicebat: *Si quid ex divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, ut audiamus: hæ verò voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur.* Nestorius, errorem suum propugnabat, ex eo, quòd in Scriptura, Maria Virgo, dicta sit solùm Mater Jesu, nunquam autem, Dei para. Eutyches quærebat ex Catholicis: In quanam Scriptura jacent duæ Naturæ? ùt refertur in Concil. Chalced. Actione. 1. Pelagiani inquiebant: *Credamus, quod legimus in Scriptura, & quod non legimus, nefas credamus astruere,* ùt testatur S. Augustinus lib. de Natura & gratia cap. 39.

Miraculúmne, quòd multi adhæserint Calvino.

Quodsi quispiam Patronus Calvini dicat: Miraculum id esse magnum, quòd tam multi adhæserint doctrinæ ejus, intrà breve

breve tempus; duobus enim vel tribus annis, latiùs doctrinam suam diffudit in Anglia; quàm S. Augustinus à Beato Gregorio Magno eò missus, triplo, vel quadruplo pluribus annis: Respondeo: Nunquid non plures Luthero in Germania, Dania, Svecia? & antea nunquid non plures, in toto Orbe Ario, & in Oriente Mahometi, intrà breve tempus, adhæserunt? Ideóne censendum, prædictos patrâsse miracula? *Ad propositam vitæ licentiam, populum ruere, id habet tantam miraculi speciem; quantam, saxum deorsum ruere.* ùt sapienter Thomas Morus Martyr Christi, respondit Pomerano Lutheri amicissimo Ministro, simile miraculum sibi objicienti. Vide dicta in Admirandis Lutheri Tractatu 1. cap. 10. & hìc in fine Tractatus 3.

Inauditum in Ecclesia Christi, ut Sacerdos simplex, conferret Laicis potestatem administrandi Sacramenta; seque ipsum crearet Episcopum: fecit utrumque Calvinus; & errâsse in utroque graviter non censebitur? *Calvinus se Episcopum facit.*

Sed fortè dicet quispiam: Calvinum quidem viginti tribus annis Genevensem Episcopatum usurpâsse; verùm in eo strenuè laborâsse; per omnes illos enim annos, quotidie concionabatur, & diebus Dominicis, plerumque bis: Theologiam verò, ter, singulà quaque hebdomodà, in Schola prælegebat: ac qualibet Feria sexta disputationem, quam, collationem vocabant, habebat. Quid tum? ideóne dicendus non errâsse, quod se Episcopum fecerit? imò eò graviùs erravit? quod tam longo tempore, tam sollicitè & strenuè, suos errores seminaverit. *Calvinus è vivo efficit Mortuum.*

An itèm non multùm admirandè erroneum est facinus Calvini? quod Bruleum quendam, cui persvaserat, ut se mortuum simularet, revera mortuum effecerit? Describit Historiam Lindanus Episcopus Ruremundensis, Alanus & alii, fusiùs autem Bolsecus in Vita Calvini cap. 13. (hic autor anno 1590. vitam *Veritásque hujus Historiæ, probatur.*

vitam Calvini typo editam, dedicaverat Primati Franciæ, Archiepiſcopo Lugdunenſi; in qua Epiſtola dedicatoria, ait: *Teſtor Deum, nihil me hoc Tractatu complexum, quod contra meam conſcientiam ſcriptum eſſe, mihi conſcius ſim: ſed quæ ſcribo, omnia veritate niti, & vel ex tabulis & teſtimoniis, manu ipſius Calvini deſcriptis, ea me deſumpſiſſe: vel referentibus maximæ auctoritatis Viris, cognoviſſe; vel meis oculis conſpexiſſe, manúque palpâſſe)* verbis refert his. Bruleus Oſtuno Genevam demigraverat: & cùm inops eſſet ipſe & uxor ejus, Calvini gratiam aucupabantur, ut ei commendati peculii pauperum fierent participes. Eis Calvinus vitæ ſubſidia benignè pollicetur, ſi ipſi contra ſuam operam ſibi non negarent, ad rem quandam, quam per eos fieri vellet: ſed opus eſſe Fide, & magna taciturnitate. Viciſſim illi, ad id, quod jubere vellet, promptos ſe offerunt; & quemadmodum à Calvino inſtructus fuerat miſer hic Bruleus, morbum ſimulat: Miniſtri pro Concione, populo commendant, ut precibus juvarent,, & eleemoſynis paupertati ſuccurerent: nondiu pòſt perſonam mortui induit, & mortuum ſe ſimulat. Hìc Calvinus clàm admonitus, quaſi tum omnium rerum ignarus, deambulatum prodit; ſed comitatus magnâ Catervâ amicorum: poſtquam eò ventum eſſet, ubi clamores & ejulatus uxoris, quæ miſellam & deſolatam egregiè exprimebant, exaudiret: quidnam hoc eſſet, ſciſcitatus, Domum ingreditur: ubi in genua ipſe, & reliqua caterva provolvitur; precibúſque alta voce profuſis, Deum obteſtatur, potentiam ſuam oſtendere, & mortuo huic vitam reſtituere, gloriámque ſuam ſic Univerſo populo declarare vellet: ſimúlque manifeſtum facere, ſe (Calvinum) peculiarem, ſibíque gratum ſervum eſſe, & à ſe ad Euangelii ſui Miniſterii, atque Eccleſiæ reformationem, ſingulariter, & verè vocatum: poſt quas preces, ad mortuum appropinquat, & miſeri hominis manu apprehenſâ, in Dei nomine imperat, ut ſe erigat, iterum repetit ſæpiúſque

eoſdem

eosdem sermones, voce etiam altiùs elevatâ. Quid fit, neque audit, neque loquitur, neque se commovet mortuus: justô enim Dei judiciô, qui fucos, mendaciaque detestatur, is qui se mortuum simulabat, verè esse mortuus repertus est. Quo animadverso, uxor plorare, ululatus seriò edere, & ex animo, cœpit; & in Calvinum invecta, impostorem eum, siccarium, latronem, qui Maritum interemisset, appellans, ex ordine, rem, quomodo erat gesta, clarà, altáque voce exposuit. Negent hoc, quantùm velint Calvini mancipia: exploratum & cognitum satis fuit, veritásque rei probata, imò per ipsammet uxorem confirmata. Hucusque Bolsecus.

Historia hæc, veritati esse consona videtur: tum ex protestatione juramentô confirmata, prædicti Auctoris. Tum quia, ùt scribit Lindanus in Dubitantio, id affirmabant, quidam fide digni, qui ex Burgundis, & nostratibus studiosis, Genevà reversis, hoc audiverunt, ùt certissimum. Accedit, quòd Servetus in suo Responso, ad Articulos à Genevensibus sibi objectos, constanter affirmet: *Homicidam* (inquit) *dixi Calvinum verè, & Simonis Magi Sectatorem; Nega te esse homicidam, & Actis publicis probabo.* Ad hanc Objectionem Calvinus sua in refutatione penitùs silet: Hoc porrò homicidium fuisse Brulei illius mortem, saltèm multùm probabile est: cùm de alio homicidio Calvini, non constet certò.

Simile quid multi graves Scriptores referunt de quodam Policronio Prædicante, qui in Polonia, Matthæum nomine, Pagi Biethagiensis Colonum, ex vivo fecit mortuum.

An non rectè hìc usurpari potest illud Tertulliani: *Apostoli de mortuis, vivos suscitabant, isti* (id est hæretici) *de vivis, mortuos faciunt.*

TRA-



TRACTATUS TERTIUS.

Exponuntur admirandi errores Calvini, tum in ejus doctrina fidei; tum in datis ab eo variorum casuum resolutionibus, contenti.

CAPUT I.



Assero primò, Admirandi sunt errores Calvini, in ejus doctrina, circa Mysterium SS. Trinitatis.

Calvinus plurimùm arianizat.

PRobatur. Quidni enim admirandè erroneum? quòd Calvinus, Vir in Religione Orthodoxa à teneris educatus, Professione Sacerdos; quique se jactat, doceri à se, & dici, non nisì ea, quæ Ecclesia Catholica docuit primis quadringentis annis: quòd, inquam, dicat in libro adversus Gentilem.

Primo

Primò. *Certè uno consensu fatemur* (quis ità fatetur, nisi Arianus, vel arianizans?) *Christum impropriè vocari Creatorem Cæli & terræ, quoad Personæ distinctionem.* Si Filius respectu Personæ suæ, non est propriè Creator Cæli & terræ, sicut est propriè Creator Pater, & Spiritus Sanctus: quomodo Filius erit propriè DEUS unus cum Patre? Verissimum est Patrum & Theologorum Axioma hoc: *Omnia opera ad extra, sunt communia & indivisa SS. Trinitatis.* Quod ipsum Axioma fundatur in eo, quia Virtus operativa ad extra, scilicet Omnipotentia, est communis toti SS. Trinitati, & singulis Personis divinis, utpote perfectio simpliciter simplex. Unde sicut creare convenit propriè omnibus, & singulis tribus Personis; ità & esse Creatorem Cæli & Terræ.

Secundò. Epistola secunda ad Polonos ait: *Christus secundùm Naturam etiam divinam, est minor Patre.* Si minor; ergo non habet eandem numero Naturam divinam, cum Patre: quomodo ergo unus DEUS cum Patre? Si minor: quomodo verificabuntur illa, in Symbolo S. Athanasii verba: *In Trinitate nihil majus, aut minus.* Itèm lib. 2. Instit: cap. 14. verba illa Apostoli: *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia.* Ad utramque Filii Naturam, divinam scilicet, & Humanam refert; ast quomodo Christus, si secundùm Naturam divinam supponitur esse DEUS, utì defacto est, proinde ùt summum quid, potest se alicui subjicere?

Tertiò. Rejectis & contemptis Patrum Sanctorum Expositionibus, multa Scripturæ loca ità perperam explicavit, ut Arianorum specialis Patronus meritò judicari possit: præcipuè verò, cùm verba illa Christi Domini Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*: dicat intelligenda esse de Voluntatis cóncordia, & consensu, non de Unitate Essentiæ. Verba Calvini, in suo Commentario in Joannem

ſunt hæc: *Ego & Pater unum ſumus, abuſi ſunt hoc loco veteres, ut probarent, Chriſtum eſſe Patri ὁμ ούσιον: Néque enim Chriſtus de Unitate ſubſtantiæ diſputat: ſed de conſenſu, quem cum Patre habet.* Unde factum, ut novi Ariani in Tranſylvania cum ſuo Franciſco Davide, Miniſtro primario, in publica diſputatione, ad Calvinum, tanquam ad Judicem provocaverint. Et Blandrata, Serveti Hæreſiarchæ diſcipulus, in Albana diſputatione, Arianam illam Calvini interpretationem palàm confirmavit, dicens: *Auditores, ad unicum Calvinum relegamus, qui veteres ſcriptores, palàm carpit: quòd locum hunc, (Ego & Pater unum ſumus) ad unitatem Eſſentiæ detorſerunt.* Hanc autem expoſitionem Calvini eſſe erroneam, inter alia, conſtat ex eo: Tum quia contra hanc explicationem Calvini, & Arianorum, clamant de manibus Judæorum ipſi lapides, quos ſuſtulerunt Judæi, ut lapidarent Chriſtum; clamant, inquam, à Judæis intellecta fuiſſe prædicta verba Chriſti de Unitate Eſſentiæ divinæ: quod ipſum, & verbis declarârunt Judæi, dicentes: Joan. 10. v. 33. *De bono opere non lapidamus te, ſed quia tu, homo cùm ſis, facis te ipſum DEUM.* Nec Chriſtus tunc reſpondit, ſe non vocâſſe ſeipſum DEUM, ſed probat ſe meritò ità vocâſſe. Tum, quia ibidem, ex eo probat Chriſtus neminem poſſe rapere oves de manu ſua, quia eas nemo poſſit rapere de manu Patris ſui, eò, quòd ipſe & Pater unum ſint; quaſi diceret: Quia unum ſum cum Patre in Eſſentia, ideo, & eandem manum, ſeu poteſtatem, & Omnipotentiam, habeo; ubi enim eadem eſt Eſſentia, ibi eadem & Poteſtas eſt: Tum quia omnes Patres antiqui, quicunque contra Arianos diſputârunt, hoc inprimis teſtimoniô Scripturæ, eos refutârunt. S. Alexander, Alexandrinus Patriarcha & Martyr (in cujus primùm Eccleſia, hæreſim ſuam Arius ſeminavit) in Epiſtola ad omnes Epi-

ſcopos:

ſcopos, quæ exſtat ante primum Concilium Nicænum: Athanaſius Oratione prima, & ſecunda, contra Arianos Hi-, larius, Nazianzenus, Baſilius, Ambroſius, Cyrillus uterque Chryſoſtomus & alii. Audiatur ex omnibus S. Auguſtinus. *A Charybdi* (inquit) *& ſcylla liberat Chriſtus: cùm dicit: Unum, ab Ario: cùm dicit, ſumus, à Sabellio*: Unum enim ſignificat unitatem Eſſentiæ: ſumus, pluralitatem Perſonarum, quam negabat Sabellius, dicens: DEUM eſſe unum in Perſona, ſicut eſt unus in Eſſentia. Et S. Hilarius lib. 8. de Trinit. ait: Unum ſunt Pater & Filius, non ſolùm voluntate & unanimitate: ùt dicunt hæretici (quomodo dicitur de fidelibus Joan. 17. *Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*) ſed Naturâ, Honore, & Virtute. Ex his conſtat: quàm deteſtanda fuerit arrogantia unius ſacellani Noviodunenſis, Calvini, qui tot doctiſſimos & Sanctiſſimos Patres, Arianorum debellatores, auſus eſt dicere, abuſos fuiſſe illo textu Scripturæ. Nónne itèm tali ſua dictione, Calvinus, Ario, & Arianis, plus tribuit de intelligentia Scripturæ, quàm tot Patribus? Quod, quídni eſt arianizare? Præcipuè cùm & illum locum 1. Joan. 5. verſ. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Dicat non valere ad Confirmandum Myſterium SS. Trinitatis.

Quartò. Quia, ſiquidem verba illa clariſſima Chriſti Domini: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, accipit Calvinus figuratè: Quidni & ab Arianis accipiantur figuratè verba illa? *Hic eſt Filius meus dilectus. Verbum Caro factum eſt. DEUS erat Verbum.* & Similia, quibus à Catholicis, probatur Myſterium SS. Trinitatis. *Unde Experientiâ docti, loquimur* (inquit in caput 26. Matthæi Maldonatus, qui Pariſios miſſus anno 1553. Superſtite etiam tum Calvino, ibi ſcientias altiores, plurimis annis cum ſummo plauſu docuit:

Commentarióſque in Evangelia, aliáque Volumina eximia conſcripſit) *multos jam Calviniſtas videmus, qui ingenioſiores & magìs increduli, id eſt magìs Calviniſtæ, cæteris erant, eò jam perveniſſe, ut qua ratione priùs Euchariſtiæ Myſterium non credebant, nunc Trinitatis Myſterium non credant: Novi Ariani ex Calviniſtis nati ſunt.* Certum enim eſt, poſt exortam hæreſim Lutheri, & Calvini, omnes ferè inſtauratores Arianiſmi, Tritheiſmi, Samoſateniſmi fuiſſe Calvini diſcipulos, quoſdam etiam eidem amiciſſimos.

Accedit: Quòd ſtudiô gratificandi Arianis, primò, Calvinus in libro adverſùs Gentilem, auſus eſt ſcribere, locutionem Symboli Nicæni eſſe duram hanc: *DEUS de DEO, Lumen de Lumine.* Cùm tamen Symbolum hoc, cum prædictis verbis, approbaverit Concilium Sardicenſe, Conſtantinopolitanum primum, Epheſinum primum; & alia omnia primaria Concilia Generalia. Paſsimque illam locutionem contra Arianos urget S. Athanaſius. Itèm in Conciliabulo Lauſanenſi, cui interfuit Calvinus, nunquam potuit ab eo extorqueri: ut fateretur, Filium eſſe DEUM de DEO. Cùm tamen ipſe Chriſtus Dominus dicat Joan, 5. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo.* Hæc porrò Vita alia non eſt, quàm Divinitas: Quamvìs autem (inquit S. Thomas in 1. Sentent. diſt. 5. q. 2. art. 2. & cum eo, omnes alii Theologi) Filius totum eſſe ſuum habeat ab alio, (ſcilicet à Patre) nihilominus tamen *Eſſe* ſuum, non eſt dependens: quia accipit à Patre idem numero *Eſſe*, quod ipſe habet, & ideo non eſt dependens *Eſſe* ſuum.

Accedit ſecundò, Quòd in eodem libro ſcribat hæc: *Ingenuè fatemur, per excellentiam, DEI nomen Patri propriè adſcribi.* Tu arianizans Calvine fateare cum tuis: Orthodoxi omnes diffitentur, juxta enim hos, & rei veritatem, nomen DEI per excellentiam convenit vero DEO, qui eſt Unus in Eſſen-

Eſſentia, trinus in Perſonis. Aliàs quidni rectè, ex propoſitione Calvini, inferatur? Patrem eſſe DEUM majorem Filiô?

Tertiò, In Epiſtola ad Polonos ſcripta anno 1563. dicit: *Precatio vulgo trita: Sancta Trinitas, unus DEUS, miſerere noſtri. Mihi non placet, ac omnino barbariem ſapit.* Non placeat, & barbariem ſapiat, barbaro Calvino: ſed placuit per retrò actos plures, quàm mille, & quadringentos annos Orthodoxis innumeris Latinis, Sanctíſque Patribus, & placebit ſanè omnibus Orthodoxis. Ipſe S. Hilarius duodecim & S. Auguſtinus 15. libros inſcripſit de Trinitate, Richardus Victorinus ſex, Boëtius duos, idem fecerunt alii Patres quidam.

Accedit Quartò, Quòd Calvinus in Commentario ſuo in Iſaiam non approbet, per Triſagion illud Seraphinorum Iſaiæ 5. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabaoth*, denotari Myſterium SS. Trinitatis. Cùm tamen contrarium doceant SS, Patres, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Nazianzenus, Cyrillus, & alii: è quorum numero S, Damaſcenus In Triſagio ait: *Deitas trinè ſanctificatur, gloriáque afficitur, cùm dicitur, ter: Sanctus, Sanctus, Sanctus. ac rurſum tres Hypoſtaſes, unâ tantùm gloriâ afficiuntur, cùm dicitur: Dominus DEUS Sabaoth, plena eſt omnis terra gloriâ ejus: Sanctus ergo Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus. Ter Sanctam ergo dicimus Deitatem, & Trinitatem, non verò unicam ejus Perſonam.* Imò cum Patribus docet idem Concilium Generale quintum, ſeu Conſtantinopolitanum ſecundum, totáque Eccleſia Orthodoxa.

Accedit quintò, Quòd difficilè mihi perſuadere poſſim, Calvinum non eſſe ſaltèm Patronum Arianorum, cùm doceat ea de Chriſto, ex quibus non incongruè queat inferri, eum ſimul non fuiſſe verum DEUM: docet enim, Animam Chriſti, damnatorum pœnas ſuſtinuiſſe, & de ſa-

lute ſua deſperâſſe. Quis Arianorum hoſtis, hæc non horreat ?

Nota primò, Non ſolùm, Catholici aſſerunt Calvinum fuiſſe Patronum Arianorum, ejúſque Scholam & inſtitutionem, fuiſſe Arianorum (& meritò, ùt conſtat etiam ex dictis ſufficienter) ſed etiam idem de Calvino aſſerunt primarii Lutheranorum Miniſtri, Aegidius Hunnius, Smidelinus, quorum verba vide ſuprà in fine Tractatûs 1.

Vorſtii Calviniſtæ Propoſitiones impiæ.

Nota ſecundò, Conradus Vorſtius, Calvinianus Miniſter, primúmque Genevæ, pòſt Lugduni Batavorum Theologiæ Profeſſor, in libro à ſe edito, de Deo, ejúſque Attributis, auſus eſt, ìnter ālias Propoſitiones, has portentoſas ſcribere. 1. *Argumenta quæ afferuntur à Patribus, vel recentioribus Theologis, pro æterna Chriſti generatione, aut frivola ſunt, aut fallacia.* 2. *Chriſtus dicitur æternus, reſpectu æternitatis futuræ.* 3. *Chriſtus eſt* Θεὸς, *ſed non* ὁ Θεός. 4. *DEUS non eſt eſſentialiter immenſus, nec ſimpliciter infinitus.* 5. *Eſt corporeus.* 6. *Eſt alterabilis, mutabilis, accidentibus ſubjectus.* 7. *Conjicit de futuris per diſcurſum, & ratiocinando.* Propoſitiones has impias ex libro Vorſtiano deſumptas, ipſe Jacobus Rex Angliæ curavit publicari. Nónne hujus Calvinianæ hæreſeos Miniſtri ex dictis propoſitionibus, 1. 2. & 3. arianizant. 4. verò, 5. 6. & 7. propoſitio, nónne atheizant ?

CAPUT II.



ASſero ſecundò, Admirandè erronea eſt Calvini doctrina de Auctore peccati, & Prædeſtinatione.

PRobatur. Quidni enim non admirandè erroneum, & diam

diametro oppositum infinitæ Bonitati divinæ, dogma illud Calvini: Deum esse Auctorem omnium scelerum. *Detestanda* (clamat meritò S. Augustinus ad artic. sibi falsò impositos artic. 10.) *& abominanda opinio est, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis, credit Auctorem*: Imò hæc opinio est, quantum de se, sublativa Dei è rerum natura: Nam ùt rectè ait S. Basilius Homilia: Quod Deus non sit Auctor malorum; *stultus, & verè à sensu alienus est, qui dixerit: Non est Deus. Similis itèm huic est, nec quidquam in stultitia* *Calvinismus est* *differt, qui Deum, malorum causam esse dicit; párque priori scelus* *gradus* *existimaverim; quoniam ambo bonum Deum similiter negant: alter* *ad Atheismum.* *quidem; non esse omninò dicit: alter verò non bonum esse affirmat: si enim est malorum causa, non bonus est: si non bonus, neque Deus: Itaque utrobique est negatio Dei.* Quin præstat Deum absolutè negare; quàm auctorem scelerum esse, censere; talis enim potiùs dæmon est. Hinc factum, quod ex Calvinismo fiat facilis descensus in Atheismum. Comprobátque id ipsum, sat luculenter ille Calvinista Atheus, postea anno 1572. Parisiis exustus, qui antea in suo libro, de Arte nihil credendi, edito, scripserat: *Oportere priùs Calvinistam fieri, qui Atheus esse vellet.* Ast dicet aliquis cum Vitakero Ministro Calviniano, in Anglia quondam primario Theologiæ Professore, in Responsione ad Rationes Campiani Martyris. *Si Calvinus, aut quispiam nostrûm* (Calvinistarum) *affirmet, Deum esse Auctorem, & Causam peccati, non repugno, quin omnes simus horrendæ blasphemiæ scelerísque rei.* Audi Vitakere, & quivis Calvini *Juxta* Affecla, blasphemiam hanc doceri à tuo Calvino. Libro e- *Calvinum* nim de æterna Dei Prædestinatione, Calvinus ait: *Summa* *Deus Auctor* *autem huc redit: quamvis homines, ùt indomitæ bestiæ, nullísque vinculis coërcitæ, lasciviant; arcanô tamen frenô gubernari; ut nè digi-* *peccati.* *tum quidem movere queant, nisi ad exequendum Dei magìs, quàm suum opus.* Ibidem pag. 916. *Non nisi sciente, atque ità ordinante* DEO

te DEO, cecidit Adam séque & posteros perdidit: Et libro 1. Instit. cap. 18. agens de incestu Absalonis; de idololatria decem tribuum; de tyrannide Achabi; de rabie Judæorum in Christum, subdit; *Et jam satis apertè ostendi* (nè quidem subobscurè, sed apertè te ostendisti scelestum hæresiarcham) *Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ isti Censores* (Catholici) *volunt otioso tantum ejus permissu contingere.* (Otiosane permissio & dimissio? cùm dicimus cum S. Paulo, Actorum 14. *Deus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*) *Homo, justo Dei impulsu, agit, quod sibi non licet.* Itèm lib. 3. Instit. cap. 24. *Vocem ad reprobos etiam aliquando Dominus dirigit; sed ut magìs obsurdescant: lumen accendit; sed ut reddantur cæciores: remedium adhibet; sed nè sanentur.* Itèm lib. 2. Instit. cap. 4. sectione 5. ait: Diabolum, dum homines ad peccandum movet, Dei potiùs instrumentum esse, quàm peccati auctorem. Dicit enim: *Spiritus impurus, ad Dei nutum, potentiámque respondet; instrumentum magìs ipsius in agendo; quàm à se ipso auctor.* Nónne clarè ex dictis patet, dogma illud Calvini: Deum esse auctorem peccati? Quid enim plus requiritur, ad esse auctorem peccati; quàm, quæ asserit de Deo Calvinus locis citatis? Præsertim lib. 1. Instit: cap. 18. illo enim toto capite obnixè intendit Calvinus persvadere lectori; omnia etiam sceleratissima opera, fieri à Deo, non tantùm permittente, sed omnino volente, impellente, efficiente. Itèm lib. 3. Instit. cap. 26. ait: *Non dubitaverim dicere, divinam Prædestinationem ac Voluntatem, rerum necessitatem esse.* Quod si ità est, & Deus, juxta eundem, omnes actiones hominum, etiam sceleratissimas prædestinavit; sequitur, necessitatem peccandi hominibus imposuisse: proinde eos necessariò peccare. Quidni ergo Auctor peccati? Nec obstat: quòd Deus alio fine faciat peccatum, alio fine homo. Tum quia plurima sunt, ex natura sua adeò mala; ut nullo fine unquam fieri possint

ſint bene: qualia ſunt: odium Dei, blaſphemia, perjurium, mendacium, & alia innumera. Tum quia juxta Calvinum, quòd homo actiones ſuas, ad hunc vel illum finem referat, eſt à Deo efficaciter id volente, ad id impellente, & non ſolùm permittente. Hinc patet; quòd Calvinus non ſolùm ſit ſingularis Arianorum Patronus, ùt ſuperiori capite oſtenſum; ſed etiam ſit ſpecialis Patronus ipſorum dæmonum, & omnium ſceleratorum, cùm Deum faciat auctorem cunctorum ſcelerum.

Nota 1. Quòd Deus neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, ſed vult permittere mala fieri: cùm non teneatur impedire mala, ſítque Cauſa Univerſalis, & velit libertatem humanam indemnem ſervare: nec itèm debeat Dei libertas, & ſupremum in res omnes dominium, reſtringi à creatura: reſtringeretur autem, ſi Deus ad impedienda peccata, ſemper teneretur conferre auxilia tantùm efficacia: ſic enim nunquam poſſet diſponere de inefficacibus: per quod fieret magnum præjudicium divinæ Libertati. Dum dicitur in Scriptura, à Deo aliquis indurari, excæcari, in ſenſum reprobum dari: ſenſus eſt, quòd Deus, in pœnam, ſubtrahat auxilia uberiora ſeu efficacia. Vel ùt S. Auguſtinus Epiſt. 105. dicit: *Non obdurat Deus, impertiendo malitiam; ſed non impertiendo miſericordiam.* Poſitiva, propria, & directa obcæcationis Cauſa, eſt propria obcæcati malitia, juxta illud Spiritûs Sancti effatum: *Excæcavit illos malitia eorum.* Deus autem indirectè ſolùm excæcat & obdurat; ſenſim ſubtrahendo impiis lumen veritatis, & gratiæ, nec amovendo ab eis errorum, & excæcationis occaſiones, ad punienda eorum peccata, eóſq; in peccatis relinquendo. Claré ſcriptura dicit: Eccleſ. 15. v. 2. *Nemini mandavit* (nempe Deus) *impiè agere.* itèm Jerem. 19. v. 5. *Ædificaverunt excelſa Baalim, ad comburendos filios ſuos igni, in holocauſtum Baalim, quæ non præcepi, nec locutus*

Satisfit Objectionibus pro errore ſuprà dicto Calvini.

sum, nec ascenderunt in cor meum. Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israël.* Psal. 94. *Nolite obdurare corda vestra.*

Quinam ante Calvinum docuerunt, Deum esse Auctorem peccati?

Nota secundò, Quòd Pareus, Calvinista, Professor Theologiæ Heidelbergæ, non diffitetur suprà datum dogma fuisse Calvini, ùt videre est apud Becanum: & licèt non pauci Calvinistæ, illud rejiciant, ùt Vitakerus & Pareus, tamen alii non pauci sequuntur: Quanquam illud dogma ante Calvinum docuit clarè Zvinglius lib. De Providentia Dei folio 365. *Quando* (inquit) *facimus adulterium, vel homicidium: Dei opus est Motoris, Auctoris, atque impulsoris: Latro, Deo impulsore occidit, & sæpe numero cogitur ad peccandum.* Et longè ante Zvinglium docuit idem quidam Florinus, circa annum Domini 182. ùt scribit Eusebius lib. 5. Hist. cap. 20. Eundem impium errorem, tribuit Simoni Mago Vincentius Lyrinensis. Docet itèm Calvinus, Quòd Prædestinatio ad mortem, & damnationem æternam, seu reprobatio, facta sit solò Dei arbitriò, sinè prævisione ullius omnino culpæ.

Reprobatio non est facta sinè prævisione ullius culpæ.

Probatur. Sic enim scribit 3. Instit. cap. 23. *Dico, cum Augustino* (in margine appositum Epist. 106.) *esse à Domino creatos, quos in exitium ituros, sinè dubitatione præsciebat: ídque ità factum, quia sic voluit.* Ibidem dicit; *Homines nudò Dei arbitriò, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur.* Quod Augustinus, idem Epist. 106. vel alicubi alibi dixerit, grande mendacium calumniosum est: expreßè enim habet. hæc. libro 3. contra Julianum cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos, sinè bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam, sinè malis meritis damnare, quia justus est.* Et in illamet ipsa Epistola 106. ait: *Quenquam verò immeritum, & nulli peccato obnoxium, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Si ergo juxta S. Augustinum, non potest Deus damnare, sinè malis meritis, & immeritum: quomdo juxta eundem, poterat id ab æterno justè decernere? Et non solùm

S. Au-

S. Augustinus docet oppositum Calvino, & alii SS. Patres: verùm clarè & Sacra Scriptura. *Perditio tua ex te Israël. Deus non vult aliquos perire. Discedite maledicti in ignem æternum*. Causamque hujus, non asserit Christus Judex, nudum Dei arbitrium: sed demerita illorum. *Esurivi enim &c.* Quodsi quispiam ex Patronis Calvini objiciat: Utique Cameracensis, & quidam alii Theologi Pontificii docent, posse per absolutam potentiam, citra ullam injustitiam vel crudelitatem, hominem etiam innocentem, à Deo æternaliter puniri, & damnari? Respondetur. Nec Cameracensem, seu Petrum de Aliaco, nec ullum Theologum Orthodoxum dicere, id defacto fieri, vel unquam factum, aut futurum esse; ut defacto factum esse, & fieri docet Calvinus. Expreßè Cameracensis dicit Quæst. 12. artic. 2. *Cujuslibet reprobationis est aliqua causa, scilicet culpa.* Idem dicunt alii omnes nostri Theologi. Porrò, in præsenti, quæritur, quomodo facta sit reprobatio? non quomodo absolutè loquendo, fieri potuerit. Accedit. Quod Cameracensis licèt & aliqui cum illo Theologi doceant id, quod ponitur in Objectione: tamen, si non certa, saltem longè probabilior est contraria Sententia; quam, paucis exceptis, tenent ferè omnes Insigniores Theologi: tenétque S. Augustinus ùt suprà visum; & alii patres, è quorum numero S. Fulgentius. Libro 1. ad Monimum cap. 26. *Notum* (inquit) *est, iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis impietas, præcessisse.*

Neque dicas, S. Augustinus, Tomo 7. lib. de Prædest. & gratia cap. 16. dicit, hominem potuisse justè à Deo æternùm damnari, licèt si non peccâsset. Respondeo enim cum Bellarmino & Doctoribus Lovaniensibus, Librum illum non esse S. Augustini. Ratio est. Quia non tantùm non habetur in Indiculo Possidii, qui tamen diligentissimè in Indiculum redegit libros S. Augustini: sed e-

tiam quia diſcrepat à phraſi & doctrina S. Doctoris. Nam is in Epiſt. 105. & 106. & lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 16. itèm (ùt vidimus ſuprà) libro 3. Contra Julianum cap. 28. apertè docet contrarium.

CAPUT III.



Sſero tertiò, Admirandi ſunt errores Calvini, in doctrina, de Christo Domino.

Errores Calvini de Chriſto convelluntur.

PRobatur, Docet enim impiè, 1. Chriſtum Dominum non eſſe natum ex Virgine illibata: Siquidem negat, B. Virginem, manente illibatâ ejus Virginitate, concepiſſe, & peperiſſe Chriſtum. Hic illius error, ſequenti Capite refelletur.

Docuit ille animamChriſti fuiſſe aliquando deſtitutam uſu rationis.

Docet ſecundò, Chriſtum Dominum, ſecundùm Naturam humanam, ſeu preſſiùs loquendo, Animam Chriſti Domini, tempore infantiæ, deſtitutam fuiſſe uſu rationis, & intelligentiæ. In Commentario enim ſuo ſuper Iſaiam, exponendo verba illa: *Ut ſciat reprobare malum,* ait: *Filius Dei voluit etiam ad tempus privari intelligentiâ - De hac Chriſti, ad tempus ignorantia, teſtatur Lucas; dum ait: Et proficiebat ſapientiâ, & ætate & gratiâ, apud Deum & homines. Oportuit ergo ipſum ad tempus, ſimilem eſſe pueris infantibus; ut, quoad humanitatem, intelligentiâ deſtitueretur.* Idem docuit antè & Lutherus, quem ejus errorem refutavi in Defenſione Theologiæ Scholaſticæ contra Lutherum Tractatu 5. ſub Theſi 5. Vide ibidem dicta. Nunc ſolùm breviter dico: Calvini præfatam doctrinam eſſe erroneam. Quomodo enim ille potuit eſſe in Infantia deſtitutus uſu

uſu rationis, & intelligentiâ? qui in utero Virginis, fuit Vir (juxta illud Jeremiæ cap. 31. v. 22. *Fœmina circumdabit virum*) Vir inquam, non mole corporis, ſed vir ſapientiâ & gratiâ? Qui itèm dum eſſet parvulus, vocatus eſt ab Iſaia cap. 9. *Admirabilis, Conſiliarius,* & ùt Septuaginta vertunt; *Magni conſilii Angelus*: teſtéque eodem Propheta, cap. 11. ſuper hunc florem aſcendentem ex Virga: id eſt natum ex Virgine, adhuc infantem, requievit Spiritus Domini, *Spiritus ſapientiæ & intellectûs.* Quomodo uſu rationis deſtitutus dicatur ille Infans, in quo *inhabitavit plenitudo Divinitatis corporaliter*; *omnéſque theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt obſconditi.* Coloſs. 2. v. 9. Præcurſor Domini Joannes, incluſus maternis viſceribus, uſum rationis habuit, unde & exultavit Infans in utero, mox ût B. Virgo ſalutavit Matrem Eliſabeth: & Chriſto Domino infanti, uſus rationis denegabitur? Certè indecens erat, Animam Chriſti, unitam hypoſtaticè Perſonæ Verbi, quæ eſt infinita Sapientia, habuiſſe labem aliquando ignorantiæ. Quivis Orthodoxus rectè dicit cum S. Auguſtino lib. 2. de peccat: meritis & remiſſione cap. 29. *Nullo modo crediderim, fuiſſe in Infante illo ignorantiam, in quo Verbum Caro factum eſt, ut inhabitaret in nobis: nec illam ipſius animi infirmitatem in Chriſto parvulo fuerim ſuſpicatus, quam videmus in parvulis.*

Objectiones in contra, refelluntur.

Dicitur à S. Luca Chriſtus profeciſſe Sapietientiâ: quia (ùt loquitur S. Damaſcenus & alii Patres) per ætatis incrementum, ſapientiam eam, quâ præditus erat, in lucem proferebat: habuit verò ſemper ſcientiam divinam; Beatam inſuper & infuſam. Profecit autem propriè ſcientiâ experimentali, addiſcendo aliquid per experientiam, miniſteriô ſenſuum, juxta illud. S. Pauli ad Hebræos 5. v. 8. *Didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam.*

Neque dicat quiſpiam. Utique S. Lucas teſtatur, Chriſtum puerum profeciſſe ſapientiâ, non ſolùm apud homines,

 ſed

ſed etiam apud Deum? Ergo verè profecit: nam juxta phraſim hebraicam, idem eſt, *apud Deum:* atque *verè.* Et ſic apud eundem S. Lucam cap. 1. v. 6. Zacharias & Eliſabeth juſti apud Deum (id eſt verè juſti) fuiſſe dicuntur. Proindè profecit Chriſtus Sapientiâ, non ex eo ſolùm, quòd hæc hominibus ignaris paulatim apparuerit. Itèm Idem S. Lucas conjungit profectum in Sapientia, cum profectu in ætate, dicens: *JEſus proficiebat Sapientiâ & ætate*: Ætate autem verè profecit, & non ſolùm hominum opinione. Reſpondetur enim cum Patribus & Theologis ad 1. Profeciſſe Chriſtum apud Deum, id eſt, verè, in hoc ſenſu, quòd non ſolùm apud homines, ſed etiam apud Deum proficere hominibus verè videretur: licèt defacto verè non profecerit in divina Sapientia, beata itèm & infuſa. Reſpondetur ad 2. Etiamſi Joan. 20. verſ. 17. in eodem contextu poſita ſint verba Chriſti hæc: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*: tamen non eodem modo accipi debent: aliàs Deus Pater, non aliter eſſet Pater Chriſti, quàm noſter: Quod eſſe falſum conſtat clarè ex Scriptura; Ità etiam, licèt in prædicto textu S. Lucæ, conjungatur profectus in ſapientia, cum profectu in ætate; nihil obeſt, quò minus intelligatur profeciſſe verè ætate: Sapientia autem, ſolùm ſecundùm opinionem humanam.

Docuit Calvinus Chriſtum Dominum, illuſiſſe adoloſcenti Evangelico.

Tertiò, Adoleſcentem, quærentem Matth. 19. *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* verba illa Chriſti reſpondentis: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: graviter erroneè & impiè in ſua Harmonia explicat Calvinus ſic. *Locum* (inquit) *hunc, perperam interpretati ſunt quidam ex veteribus quos Papiſtæ ſecuti ſunt, ac ſi doceret Chriſtus, legis obſervatione poſſe nos vitam æternam promereri: legale eſt hoc Chriſti reſponſum: quia juvenem de operum juſtitia quærentem, prius doceri oportuit, neminem coram Deo cenſeri juſtum; niſi qui legi ſatis fecerit, quod impoſſibile eſt: ut infirmitatis ſuæ convictus, ad fidei ſubſidium ſe conferret.* De hac explicatio-

catione rectè pronuntiavit Cornelius à Lapide: Quot hic sunt verba, totidem errores sunt, & hæreses, imò blasphemiæ. Hæresis enim & blasphemia est, Christum Dominum illusisse bono illi adolescenti: nónne autem illusio est? dicere, Viam in Cælum, esse observationem mandatorum: eam tamen homini esse impossibilem? Sicut defacto illuderetur ei, cui interroganti, qua viâ iretur Leopoli Cracoviam? responderetur: volandum esse per aëra in Hispaniam. Hæresis est & blasphemia: quod observatio mandatorum Dei sit impossibilis. Siquidem S. Joannes scripsit Joan: 5. *Mandata Dei gravia non sunt.* Et S. Basilius Oratione in illud *Attende tibi,* ait: *Impium est dicere, impossibilia esse Spiritûs præcepta.* S. quoque Hieronymus inquit: lib. 3. contra Pelagianos: *Deus possibilia mandavit, hoc nulli dubium est.* Rectissimè & Orthodoxè S. Augustinus lib. de Natura & Grat: cap. 43. & ex eo Concilium Arausicanum & Tridentinum Sess. 6. cap. 11. *Deus* (inquit) *impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat, ut possis.* itèm sermone 191. de Tempore. *Execramur* (inquit S. Augustinus) *blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei, non à singulis, sed ab omnibus in Communi posse servari.*

Itèm Hæresis est, quòd sola fides, sinè operibus bonis, sit via ad Cælum. *Nam fides sinè operibus mortua est,* teste S. Jacobo cap. 2. &. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Hæresis est, quòd per observationem Legis, seu mandatorum Dei, & per bona opera, non possint fideles justi vitam æternam promereri. Manifesta est enim Christi Judicis Sententia Matth. 25. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum, à Constitutione Mundi. Esurivi enim; & dedistis mihi manducare &c.*

Quartò docet impiè Calvinus, Quòd Christus Dominus

in hor-

Itèm Repugnasse Divinæ Voluntati. in horto Getsemani orans, habuerit oblivionem, caliginem, inconstantiam, divinæ voluntatis repugnantiam; adeóque re ipsa peccaverit: Commentando enim super verba illa Christi. *Pater, si possibile, est, transeat à me Calix iste*, dicit: *Non fuit hæc meditata Christi oratio, sed res & impetus doloris, subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Eadem vehementia, præsentem Cælestis decreti memoriam illi abstulit; ut non reputaret in ipso momento, se hac lege missum esse, humani generis Redemptorem; sicuti gravis anxietas sæpe Caliginem oculis obducit, nè simul in mentem veniant omnia. In summa: nihil absurdi est, si in precibus non semper occurrit præsens omnium rerum attentio.* Non tantùm absurdum, sed absurdissimum est: Christum Dominum, summâ sapientiâ & Sanctitate semper præditum, in precibus suis fuisse aliquando destitutum perfectâ attentione:

Pertulisse in anima, Damnatorum pœnas. Quintò Enormiter erroneè docet, Christum Dominum, tempore suæ passionis, damnatorum pœnas in animo pertulisse? & dicendo: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, in Cruce desperâsse. *Sciamus* (inquit libro 2. Instit. cap. 16.) *quòd Christus diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit; eámque mortem, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.* Et in sua Harmonia in cap. 27. Matthæi dicit: *sed absurdum videtur* (quin absurdissima verè blasphemia est) *Christo delapsam esse desperationis vocem. Solutio facilis est: quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in ejus corde.* Quomodo ergo iræ Dei satìs fecit Christus, si peccatum tam grande desperationis commisit? Quomodo potuit fixa stetisse fiducia in ejus corde? cùm idem Calvinus lib. 3. Instit. cap. 2. de fide electionis, & futuræ salutis, suorum sequacium, scripserit? *Abunde liquet, fidei nihil esse magìs adversum, quàm vel conjecturam, vel aliud quidpiam dubitationi affine.* Quomodo Christus fuisset exemplar omnis perfectionis & pietatis?

Dixit quidem Christus Dominus: *Tristis est anima mea.* ast ubi unquam Scriptura Sacra, vel aliquis Orthodoxorum dixit, Christum, damnati ac perditi hominis cruciatus, in anima pertulisse? Si ejusmodi cruciatus pertulit? ergo cruciatus & tormenta inferni pertulit? ergo sustinuit gehennæ ignem. hic enim est præcipuus, damnati & perditi hominis cruciatus. Et hæc blasphema Calvini opinio, ab eo vivâ voce, suis discipulis tradita, post & scriptô mandata occasionem fortè dedit illi sacrilego Apostatæ, de quo Cochlæus in Actis Lutheri, & Surius refert, quòd asseruerit, Christum desperâsse, & esse damnatum. Locum illum Scripturæ, Actorum secundo: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni*, intellige solutos esse dolores inferni, non quibus Christus solutus fuerat, sed nè teneretur; Sicut aliquis solvit laqueos, & pedicas, venantium, non quòd fuerit detentus, sed nè teneatur. Vel solutos esse inferni dolores, quibus teneri Christus non poterat, sed quibus tenebantur alii, quos ipse noverat liberandos: ùt explicat S. Augustinus Epist. 99. ad Evodium, & alii Interpretes Orthodoxi.

Sextò, Libro 2. Instit. cap. 16. docet multùm erroneè. Quòd nihil corporea Christi morte actum fuisset, nisi etiam in Anima, Christus damnati ac perditi hominis supplicium pertulisset; & divinæ ultionis severitatem sensisset. Nónne hæc impia doctrina, evidenter repugnat Scripturæ Sanctæ? quæ frequentissimè inculcat nobis, sanguinem Christi, & mortem, quam Patri in Cruce obtulit, verum fuisse nostræ redemptionis pretium. *Si enim* (inquit S. Apostolus ad Hebræos 9. v. 13. & 14.) *Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat, ad emundationem Carnis: quantò magìs sanguis Christi, emundabit conscientiam nostram, ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* ad Ephes. 1. *In quo habeant redemptionem per sanguinem ejus.* Hócque ipsum à longè Isaias cap. 53.

M præ-

prædixit: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

Christum Dominum, non pro omnibus hominibus mortuum esse.

Septimò, Libro 3. Instit. & alibi sæpè dicit Calvinus, Christum non esse mortuum, pro omnibus hominibus, sed tantùm pro Electis & prædestinatis; cùm tamen expressè S. Paulus 2. Corinth. 5. v. 15. dicat: *Christus pro omnibus mortuus est*, & 1. ad Timoth. 2. *Deus omnes homines vult salvos fieri. Christus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Verùm hìc error, fusiùs refutatur à me in Admirandis Jansenismi.

Nec in triduo mortis Christum verè descendisse ad inferos.

Octavò, Negat perperam Calvinus, Christum in triduo mortis, verè secundùm animam descendisse ad inferos dicens; lib. 2. Institut. Cap. 16. *Christum, descendisse ad locum subterraneum, cui posteritas nomen Limbi affinxit, tametsi magnos Authores habet, nihil tamen, quàm fabula est.* Id verò asserunt, non solùm SS. Patres, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus & alii, quod non diffitetur ipse Calvinus, & Danæus, Calvinianus Minister primarius, apud Gretserum Tomo secundo, in Defensione Bellarmini cap. 14. lib. 4. Non solùm itèm asserunt Concilia, scilicet, Toletanum IV. cap. 1. & Lateranense, sub Innocentio III. cap. 1. sed etiam id asserit sæpè Scriptura Sacra: inter alia enim ad Ephes. 4. dicitur de Christo: *Descendit ad inferiores partes terræ.* Et in Symbolo Apostolico habetur. *Descendit ad inferos.* Quod autem per vocem hanc: *Inferos*, dicat Calvinus intelligendum esse vel sepulchrum, vel perpessionem dolorum animarum damnatarum, vel quòd ad defunctorum Spiritus, non venerit quidem per animæ præsentiam; sed solùm effecerit, ut sentirent effectum passionis, & mortis suæ: Hæc inquam Explicatio, repugnat sensui Patrum, & Conciliorum, éstque aliena à sensu proprio Scripturæ, & literali, à quo tamen non esse recedendum, sinè gravissimo fundamento (quod tamen nullum affert Calvinus) indubitatum est.

Nonò,

Nonò, Erroneè graviter lib. 4. Instit. cap. 17. docet, Christum non surrecturum fuisse ex sepulchro, nec potuisse resurgere; Si lapis non fuisset amotus: vel resurgenti sponte cessisset. Orthodoxi è contra firmiter asserunt, & credunt: lapidem non esse revolutum, nec ei cessisse, ut Christus de sepulchro resurgeret: Sed eum, clausô, sepulchro, illud penetrando resurrexisse; sicut olim, clausô Virginis uterô, prodiit: ídque ipsum, ut bene arguunt Catholici, constat ex Euangelio: Matthæus enim cap. 28. apertè dicit: *Terræ motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de Cælo, & accedens, revolvit lapidem.* Ergo manifestum est, priùs Christum resurrexisse; quàm Angelus à monumento lapidem revolvisset: aliàs enim non propter Angeli descensum, sed propter Christi resurrectionem factum dixisset terræ motum. Audi & S. Hieronymum; qui in Epist. ad Hedibiam, Quæst. 6. ait. *Non putemus Angelum idcirco venisse; ut aperiret Domino resurgenti, & revolveret lapidem: sed postquam Dominus resurrexit: horâ, qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicâsse, quod factum est, & sepulchrum vacuum, revolutione lapidis, & sui ostendisse præsentiâ.* Beda itèm Homilia in Vigilia Paschatis: *Revolvit Angelus* (inquit) *lapidem, non ut egressuro Domino januam pandat: sed ut egressûs ejus jam facti, hominibus præstet indicium. Qui enim mortalis, clausô Virginis uterô potuit nascendo ingredi mundum; idem ipse factus immortalis, clausô sepulchrô, potuit resurgendo exire de mundo.* Constat eadem Veritas ex Consensu Catholicorum, omnium Veterum Interpretum, & SS. Patrum, id asserentium. Ità enim sensit Euthymius, & Theophilactus hic: S. Justinus Martyr, Quæst. 117. S. Chrysostomus Homil. 2. de Joanne Baptista. S. Epiphanius Orat. de sepultura Christi. Nazianzenus Tragœdia de Christo patiente. Chrysologus serm. 25. Nyssenus Orat. 2. de Resurrect. & alii. Audiatur & S. Au-

Nec penetrâsse lapidem Sepulchralem.

Auguſtinus ſerm. 138. de Tempore. *Judæi perfidi, monumenti lapidem ſignaverant, ut non haberet Chriſtus egreſſum; ſed quomodo de ſepulchro exire non poſſet? qui ex incorruptis Matris viſceribus, ſalva Virginitate proceſſit? Fefellit cuſtodes, exilivit de ſepulchro, apparuit Diſcipulis, januis non apertis: indè clauſus exiit, huc excluſus intravit.* Imò, ante exortum Calvini, nullus ex Chriſtianis, oppoſitum ſenſit.

Commentum Calviniſtarum de lapide Sepulchrali.

Nota. Quidam Novatores Calviniſtæ, licèt concedant, Chriſtum, antequam revolutus eſſet lapis, prodiiſſe è ſepulchro: negant tamen prodiiſſe, Sigillo illæſo per lapidis penetrationem: ſed opinantur, emollitum fuiſſe lapidem, & quaſi aquam, aut aërem, aut Ceram molliſſimam, ſolido Chriſti Corpori ceſſiſſe. Hujus opinionis etiam antea Calvinus videtur fuiſſe; dicit enim lib. 4. Inſtit. cap. 17. *Quod ad Chriſti occurſum ſe flexit lapidis durities: etſi probabilius eſt, ejus imperio amotum fuiſſe lapidem, & mox, tranſitu dato, in ſuum locum rediiſſe.* Verùm hæc Opinio non ſubſiſtit: quia merè eſt arbitraria, nulli Auctoritati innixa, contra Conſenſum Patrum, & totius Antiquitatis, & Eccleſiæ: excogitata ſolùm metu confitendæ veritatis: nè ſcilicet conceſsâ penetratione duorum Corporum, nempe Corporis Chriſti, cum lapide ſepulchrali, cogantur concedere, poſſe in parva Hoſtia, ſimul eſſe, magna, & plura membra Chriſti, & ſic poſſe totum Chriſtum contineri in illa. Accedit. Si potuit ſic emolliri lapis divinitus, cur non & penetrari ſecum duo Corpora?

Negat Calvinus, Chriſtum poſt reſurrectionem penetrâſſe januas clauſas.

Decimò, Lib. 4. Inſtit. cap. 17. Sectione 29: Negat Calvinus, Chriſtum poſt reſurrect(onem, per januas clauſas, penetrâſſe ad Apoſtolos. Nec iinquit) *januis clauſis intrare, tantundem valet, ac penetrare per ſolidam materiam: ſed ſibi aditum patefacere, divinâ Virtute; ut repente ſteterit inter ſuos diſcipulos, planè admirabili modo, quum obſeratæ eſſent fores.* Alii verò è nume-

numero Sacramentariorum, dicunt, fores quidem fuiſſe tunc clauſas: ſed cùm pulsâſſet Chriſtus, aliquem ex iis, qui intus erant, illi aperuiſſe: vel certè, per feneſtram apertam, ingreſſum eſſe. Cur ad Commenta nova, & oppoſita verbis S. Euangeliſtæ, & ſenſui Patrum; ac totius Antiquitatis Chriſtianæ, nulli rationi innixa, confugitis, Calvine & Sacramentarii? S. Joannes clarè, tanquam inſigne miraculum, ad demonſtrandam Omnipotentiam Divinitatis Chriſti, & dotes ejus Corporis glorioſi, narrat Chriſtum Dominum, bis ad diſcipulos ingreſſum eſſe, *cùm fores eſſent clauſæ,* ſeu ùt etiam dicit: *januis clauſis*: Et vos aſſeritis, non niſì priùs apertis Januis, ingreſſum eſſe? Quæ vos ratio compulit ad tam diſtortè explicanda verba Euangeliſtæ? credo non alia, niſì perfidia: nè ſcilicet concedendo, à Chriſto penetratas fuiſſe januas clauſas, urgeamini concedere, poſſe etiam in Euchariſtia, eſſe integrum Corpus Chriſti, ſub minima parte Hoſtiæ Conſecratæ. Senſus Eccleſiæ Chriſtianæ, qualis ſemper fuerit hac in parte, ut ſciatur, Patres ſaltèm aliqui audiantur. S. Ambroſius in cap. 24. S. Lucæ. *Habuit admirandi cauſam Thomas, cùm videret, clauſis omnibus, per invia ſepta corporibus, inoffenſa compage corpus inſertum eſt: & ideò mirum, quomodo ſe Natura corporea, per impenetrabile Corpus infuderit, per reſurrectionis corporeæ qualitatem, impervia uſu, clauſa penetravit.* Et S. Auguſtinus Epiſt. 3. ad Voluſianum. *Ipſa Virtus divina* (inquit) *per inviolatæ Matris Virginea viſcera, membra infantis eduxit; quæ poſtea, per clauſa oſtia, membra Juvenis introduxit. Hìc ſi ratio quæritur; non erit mirabile: Si exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe: In talibus rebus, tota ratio facti, eſt potentia facientis.* S. Hilarius lib. 3. de Trinitate. *Sequatur oculus mentis tuæ, penetrantis ingreſſum, & cum eo, clauſam Domum intelligentiæ tuæ viſus introëat. Integra ſunt omnia,*

M 3 *& obſe-*

& obſerata: ſed ecce aſſiſtit medius, cui per virtutem ſuam, univerſa ſunt pervia. S. Nazianzenus, in Tragœdia de Chriſto patiente ait: *Stat ecce Dominus has fores intrà: novum hoc, dignúmque vero maximo miraculo.* Similia habent Cyrillus & Chryſoſtomus in illum locum Joan. Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Epiphanius Hæreſi 64. Gregorius Magnus Homil. 26. Bernardus ſerm. 1. de Reſurre. Euthymius hìc & alii. Vide Maldonatum, Hi omnes fatentur, in illo Chriſti ingreſſu, grande interveniſſe miraculum, & ità ſupra Naturam, ut neque potuerit aliquo naturali modo fieri, quod Chriſtus tunc fecit. Ergo illud miraculum non conſiſtit in eo, quòd Chriſtus omnipotenti ſuâ virtute, januas aperuerit, cùm poſſint januæ, multis modis naturaliter aperiri licèt concederetur, apertas tunc quidem fuiſſe, ſupernaturali Chriſti virtute: ſed potiùs conſiſtit in penetratione, quæ nullâ omninò virtute naturali accidere poteſt; ut bene urget Valentia Tomo 4. Diſp. 2. q. 5. Puncto 2.

CAPUT IV.

Errores Calvini de B. Virgine, refelluntur. Attribuit ille B. Virgini Infidelitatem & malignitatem.



Sſero quartò, Admirandè eſt erronea doctrina Calvini de B. Virgine.

PRobatur. primò enim, impiè facit B. Virginem ream infidelitatis; & ei notam inurit malignitatis. Verba Calvini, in ejus Harmonia, ſuper illud Lucæ 1. v. 24. *Quomodo fiet iſtud, quoniam Virum non cognoſco?* ſunt hæc: *Videtur Sancta Virgo, non minùs malignè reſtringere Dei potentiam, quàm priùs Zacharias* (verſ. 18.) *Quod enim præter communem naturæ ordinem eſt, impoſſibile eſſe colligit.* Videatur ſanè maligno hæreſiarchæ,

Sanctiſ-

Sanctissima Maria fuisse incredula, & dubitasse de veritate prophetiæ, & promissi Angelici: ast minimè videtur perspicacissimo Angelo: aliàs, ut is, Zachariam reprehendit de incredulitate; sic haud dubiè reprehendisset & Sanctam Virginem, si incredulam fuisse censuisset; quam tamen, ut Divus Augustinus argumentatur Homilia 44. Novo, & mirabili conceptu remuneravit. Minimè itèm visa est Elisabethæ, quæ dixit ad illam: *Beata, quæ credidisti.* Demum nec incredula visa est Ecclesiæ Orthodoxæ, & SS. Patribus. Hinc S. Ambrosius hìc ait: *Non fas est, ut electa ad generandum Unigenitum Dei Filium, fuisse videatur incredula. Etenim, cùm dixit: Quomodo fiet istud? non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectûs.* Sollicita enim fuit Beata Virgo, nè hic Filii conceptus & partus, fieret cum aliqua Virginitatis & Voti sui, de ea emissi jactura, ùt passim explicant Patres: Nyssenus, Augustinus, Bernardus, Anselmus, Beda, Theophylactus, Rupertus, & alii. *Profectò non diceret SS. Virgo: Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco? nisì Deô, Virginem se antè vovisset.* inquit S. Augustinus Lib. de Virginit. cap. 4. Similia habet S. Bernardus, in illa verba Apocalyp. 12. *Signum magnum apparuit.* Et alii suprà citati. Sed objicit in Contra Calvinus. *Quòd autem* (inquit) *ex verbis S. Virginis suspicati sunt quidam, perpetuæ Virginitatis conceptum habuisse votum: nimis infirmum est, ìmò prorsus absurdum, perfidè enim passa fuisset se Marito collocari: Sanctúmque conjugii fœdus, non sinè Dei ludibrio, sprevisset.* Respondetur. Itáne tot, & tanti superiùs citati Veteres Patres, prorsus, quod absurdum est, censuerunt esse conforme Veritati? Nónne hoc ipsum asserere, grande absurdum est? Spernitúrne ab illis Sanctum conjugii fœdus, quicunque conjugiô non utuntur? Utique licet etiam conjugatis, post contractum jam matrimonium prævió mutuô consensu, abstinere ab ejus usu? Nec Josephum lusit Sancta Virgo, aut perfidè

Negat Eam emisisse Votum Virginitatis.

fidè passâ est se illi Marito collocari : quia sciebat Josephum, potestate sua, & jure Maritali, nunquam usurum, ad votum hoc Virginitatis infringendum, ùt docet S. Augustinus lib. de Virginitate cap. 4. & plurimi Theologi : imò probabilissimum est, quòd hoc suum votum revelaverit, ante Matrimonium Josepho, ísque in illud consenserit.

Negat ab omni vitio fuisse liberam.

Secundò, Ausus est impiè scribere, locô citatô hæc : *Non est magnopere laborandum, ut Sanctam Virginem purgemus ab omni vitio* : Verè, hæc dicere, est mera impietas & impudentia, ùt rectè notavit doctissimus Maldonatus. Isthuc enim est, non solùm impium esse, sed ipsam etiam impietatem, omni abiecto pudore, profiteri. Illáne vitio aliquo deformata fuit, de qua scriptum : *Multæ filiæ congregaverunt divitias* (gratiæ, meritorum) *tu supergressa es universas. In qua est omnis gratia viæ & veritatis.* Quam Angelus vocat *Gratiâ plenam?* Quæ ùt ait S. Thomas: *In nullo, à nullo* (pura Creatura) *superari debuit* : & in 4. Distinct. 30. q. 2. artic. 1. *In qua apparere debuit omne illud, quod perfectionis fuit* : Quæ fuit, ùt loquitur S. Chrysologus serm: 146. *Collegium Sanctitatis* : Nónne ab illa removendum omne vitium · *Cujus pura Sanctitas, & sanctissima puritas, omnem omnis creaturæ puritatem, sanctitatémque transcendit*, teste S. Anselmo de Excellentia Virginis cap. 9. de qua, è sensu Ecclesiæ, dicitur vere illud Canticorum 2. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et certè puritas Matris Dei, maxima esse debuit ; maximéque participâsse gratiam, censenda est illa, quæ propinquissima fuit Principio gratiæ, nempe Christo, ùt bene notat S. Thomas. 3. p. q. 27. artic. 2. Præcipuè cum non sit dubium, quidquid in laudibus Matris Dei profertur, ad Filium pertinere, ùt dicit S. Bernardus Homil. 4. super Missus est.

Falsam assignat causam

Tertiò, Censet, festinationem B. Mariæ, in Montana, factam ab ea, etiam fuisse in fidei confirmationem ; quasi experiri volendo, utrùm, quod Angelus dixerat : Lucæ 1. v. 36. Ecce

36. *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit Filium in senectute sua,* verum esset. Ast hujus festinationis dant alias causas, Veteres SS. Patres; è quorum sensu, fuit non ulla infirmitas fidei in ea, utpote dedecens Matrem DEI, sed præcipuè Charitas, & humilitas; & ut Joannes, ejusque Mater Elisabetha, spiritu Sancto replerentur. *Abiit* (inquit S. Ambrosius) *non quasi incredula, de Oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo* (ut exploraret, an revera Elisabeth concepisset) *sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio.* Et Origenes hìc Homil. 7. ait: *Jesus, qui in utero Virginis erat, Joannem adhuc in Ventre Matris positum, sanctificare festinabat.* Non absimilia dicunt Beda, Euthymius, & alii. Porrò Exultatio Infantis Joannis in utero Elisabeth ad salutationem Mariæ, non fuit motus naturalis, ùt Calvinus opinatur, dicens: *Naturale est, ut ad subitum gaudium, moveat se fœtus in utero gravidæ mulieris.* Sed fuit illa exultatio, motus supernaturalis, conjunctus usui rationis, & ex vero animi gaudio procedens, ùt docent ferè omnes Patres: Chrysostomus, Leo Papa, Gregorius Magnus, Cyrillus uterque, Maximus, Bernardus, Chrysologus, Origenes, Theophylactus, Euthymius & alii. S. Irenæus lib. 3. cap. 18. *Cognovit,* (ait) *Dominum in utero & salutavit exultans.* Et S. Ambrosius in Lucam. *Habebat* (inquit) *intelligendi sensum; qui exultandi habebat affectum.* Isque sensus est totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ in Festo S. Joannis de eo canit.

festinationis B. Virginis ad Elisabetham.

Ventris abstruso recubans cubili,
Senseras Regem thalamo manentem
Hinc Parens nati, meritis uterque
Abdita pandit.

Quartò, Docet Calvinus (utpote negans possibilem esse penetrationem duorum Corporum) & communiter Calvinistæ, ùt Beza in libro de omni præsentia Carnis, Petrus Martyr in caput 4. ad Romanos, & alii: Integritatem Virginis

Dicit Beatissimam non fuisse illibatam in partu.

ginis in partu violatam fuisse. Idem antea docuit Jovinianus hæresiarcha, ùt testatur S. Augustinus in lib. de hæresibus cap. 82. & lib. 1. Contra Julianum inquiens: *Virginitatem Mariæ destruebat, dicens, eam pariendo fuisse corruptam.* Hæc doctrina est veritati enormiter dissona: Certissimum enim est, B. Virginem, & ante partum, & in partu, fuisse integerrimam Virginem. Quod ipsum,

Error hic fusè confutatur.

PRobatur multipliciter ex Scriptura Sacra. 1. Isaiæ 7. dicitur. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Seu ùt est in Originali: *Ecce Virgo prægnans & pariens Filium.* Et Matthæi 1. *Ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentam. Ecce Virgo in Utero habebit, & pariet Filium.* En non solum asseritur Virginitas ante, & post conceptionem, sed etiam post partum: Virgo enim dicitur esse paritura. Neque dicas, quòd verba hæc Scripturæ possint intelligi in sensu diviso & ampliativè, ùt dicitur Lucæ 7. *Cæci vident, claudi ambulant.* Contra enim est. Nam cùm Isaias dicat hoc dari signum & prodigium magnum, quòd Virgo concipiet & pariet, intelligendum est in sensu composito, nempe permanente Virginitate, non autem in sensu diviso, quod ipsum docent SS. Patres. Unde S. Ambrosius Epist. 81. ait: *Non concepturam tantummodo Virginem, sed & parituram Virginem, dixit.* Et S. Augustinus in Enchiridio cap. 34. *Si* (inquit) *vel per nascentem corrumperetur Virginis integritas: non jam ille de Virgine nasceretur, eum quoque falsò, quod absit, de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia* (in illo articulo Symboli Apostolici. *Natus ex Maria Virgine*) *quæ imitans ejus Matrem, quotidie parit membra ejus, & Virgo est.*

Secundò, Ezechielis 44. scriptum est. *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa.* Arabicus vertit: *Hæc porta erit clausa, & non aperietur, & non ingredietur per illam*

quis-

quisquam: nisì Dominus Deus Israël ingreditur per eam, & egredietur ex illa; Clausa ipsius annulo. Per hanc Portam Clausam, designari B. Virginis integritatem, tam antè, quàm in partu, Omnes SS. Patres & Interpretes Christiani asserunt. *Porta* (inquit Augustinus sermone 2. de Nativ.) *clausa, est signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas: non enim violata est partu, quæ magìs est Sanctificata conceptu. Quid est hæc porta?* (quærit S. Ambrosius Lib. de Institut. Virginis cap. 7. & respondet) *nisì Maria? ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum; quando Virginali fusus est partu, & genitalia Virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum Claustrum pudoris, & inviolata integritatis duravère signacula, cùm exiret de Virgine.* Et Ibidem cap. 8. *Bona Porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur, transivit per eam Christus, sed non aperuit.* Ipse quoque Zvinglius (hac in parte non injuriosus in Mariam, sicut est Calvinus) ex prædicto loco Ezechielis, probat perpetuam Virginitatem B. Mariæ, teste Canisio lib. 2. Marial. cap. 6. Ter itèm clausa hæc Porta dicitur, ad significandam Deiparæ Virginitatem ante, in, & post partum, ùt explicat Galatinus lib. 7. de Arcanis fidei cap. 14. Huc etiam referri potest, quod de B. Virgine dicitur Cantic. 4. vers. 11. *Hortus conclusus, Fons Signatus.*

Tertiò, Cùm dixisset ad Mariam Angelus Lucæ 1. *Ecce concipies in utero, & paries Filium*: Maria verò interrogâsset. *Quomodo fiet istud,* (id est utrumque scilicet, ut concipiam, & pariam) *quoniam virum non cognosco?* Ad utrumque respondens Angelus dixit ei: *Spiritus S. superveniet in te; & Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Denotando utrumque futurum, admirabiliter, Spiritûs Sancti virtute, & sic Salvà Virginis integritate.

Probatur eadem veritas secundò Auctoritare Patrum. Ambrosius Epist. 81. ad Syricium. *De via* (inquit) *iniquita-*

tis produntur dicere, Virgo concepit, sed non Virgo generavit. Quæ potuit ergo Virgo concipere, potuit Virgo generare: cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si non creditur doctrinis Sacerdotum: credatur Oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. S. Fulgentius sermone de Laudibus Mariæ inquit; *Quæ disrupta Corporis membra, in aliis poterat integrare, tangendo: quanto magìs in sua Matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo. Crevit enim ejus partu integritas potiùs, quàm decrevit.* S. Basilius Homil. de Nativi. Domini. *Nullus unquam Christi amantium, ad aures admittat illud: Deiparam non semper mansisse Virginem.* S. Nyssenus Frater Sancti Basilii ait: Homilia de Occursu Domini. *Signacula Virginiatis illæsa conservans, etiam post processum admirabilem.* S. Cyrillus Hierosolymitanus Orat. de Occursu Christi, & Simeone: *Solus* (inquit) *Christus citra ullam virgineorum Claustrorum offensionem, in lucem editus est.* Idem asserunt alii Patres. Hieronymus in Apologia pro suis libris ad Pammachium: Chrysostomus Homil. 2. in Symbolum. Leo Papa serm. 2. de Nativit. Damascenus lib. 4. Fidei cap. 15. Origenes Homil. 1. ex variis locis, Theodoretus Dialogo 2. Euthymius in cap. 28. Matthæi & alii.

Probatur tertiò rationibus, desumptis ex SS. Patribus: *S. Virgini nostræ integritatem adimis* (verbis loquor S. Isidori Hispalensis Episcopi) *grandi dedecore Deo injuriam facis. Negas enim voluisse incorruptam servare, quem fateris, absque corruptione, adire Virginem potuisse. Negas Deum; quod vellet facere, quivisse; quem concedis, genitricem integram invenisse, & corruptioni deditam reliquisse. Ut ergo asseris, Omnipotentis Divinitas non profuit Virginitati, sed obfuit: Quia dum Virgineum decus nascendo violavit, summam Virginitatem destruxit; Ac per hoc ipsum astruis, deturpâsse nascendo, quam decoraverat ipse creando* itèm. *Deum hujusmodi decebat Nativitas* (verba sunt S. Bernardi Homil. 2. super Missus est) *quâ,*

non

non nisì de Virgine nasceretur ; talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret, nisì Deum. Et *sanè decebat* (inquit S. Cyrillus Catechesi 12.) *ut purissimus puritatis Doctor, ex thalamis puris prodiret.* Itèm : *Sicut Verbum, absque omni corruptione, in mente concipi solet, & proferri : Ità decuit, ut Christus, qui est Verbum, sinè ulla corruptione Matris, ejúsque Virginitatis, nasceretur.*

Confirmatur Veritas Catholica. Tum quia Christum ex Virgine nasciturum prædixerunt Sybillæ. Tum multitudine miraculorum, ad hujus ipsius confirmationem. Notabile est illud, quod scribitur in vita S. Aegydii, Socii S. Francisci, scilicet, quendam Doctorem Ordinis S. Dominici, dubitantem de Virginitate Deiparæ, cogitâsse, hac de re consulere S. Ægydium, cúmque eum, eminus videret S. Ægydius, prævenit, terrámque pulsans, dixit. *Frater Prædicator, S. Deipara Maria Virgo est ante partum*, Statímque, ùt hæc dixit, pulcherrimum illic exortum est lilium : iterum percussa humo repetit : *Frater Prædicator, S. Maria Virgo est in partu* : & confestim secundum exortum est lilium. Tertiò feriens baculô terram : *Frater* inquit, *Concionator, S. Maria Virgo est post partum.* Simúlque tertium exstitit lilium, Candoris, & pulchritudinis admirandæ : ità omnem ei scrupulum exemit.

Objectiones contra Integritatem Virginis Deiparæ, enervantur.

Nota primò si Calvinistæ dicant, Tertullianum idem sensisse, hac in parte, quod Calvinus : Respondendum est, si sensit, erravit ; & credibile est ità sensisse lib. de Carne Christi, sanè, Calvinistæ meminerint Regulæ illius aureæ, à gravissimo, & antiquo, veréque Orthodoxo Doctore, Vincentio Lyrinensi traditæ, lib. adversùs hæresum Novitates : *Si in ipsa* (inquit) *vetustate, lapsus alicujus, vel aliquorum Doctorum deprehendatur : Patrum aliorum, eadem de re, Sententiæ conferantur ; atque ex majore illorum consensu, proposita Quæstio judicetur.* Maximè cùm constet, Tertullianum etiam in aliis quibusdam

dam erràsse. Dum S. Lucas cap. 2. ex libro Exodi. cap. 13. Textum illum: *Omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur,* ad Nativitatem Christi accommodat: Quod facit & S. Ambrosius: Sciendum est, Aperire vulvam, non idem esse, quod rumpere Sigillum Virginitatis; sed est idem, quod nasci & exire primò ex utero Matris, quantumvìs clauso, ùt rectè explicat Amphilochius Iconiensis Episcopus, & S. Basilii æqualis, Orat. de Occursu Christi & Simeone. Divus Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos: & alii. Audi Bedam Venerabilem in caput 2. Lucæ. *Quod ait adaperiens vulvam, consveto Nativitatis more loquitur: non quòd Dominus noster, Sacri Ventris hospitium, quod ingressus Sanctificârat, egressus, devirginâsse credendus sit; juxta hæreticos, qui dicunt Beatam Mariam, Virginem fuisse, usque ad partum: sed juxta Fidem Catholicam, clausô Virginis uterô, quasi Sponsus, suo processit è thalamo.*

Nota secundò, Falsum est, Non esse possibile etiam divinitus, ut se penetrent duo Corpora. Falsum, inquam; Tum, Quia nulla vera in hoc implicantia. Quæ enim? Tum quia præterquam, quòd Christus penetravit lapidem sepulchralem, januas clausas, Uterum Virginis, ùt probatum est: constat ex historiis, fide dignissimis, factam sæpe fuisse divinitus, penetrationem duorum Corporum. Illustre hujus Exemplum refert fusè S. Augustinus libro 22. de Civitate Dei cap. 8. De nobilissima Fæmina Petronia. Vide ibidem.

Dicit Calvinus, errâsse B. Virginem in postulato suo in templo Jerosolymitano.

Quintò, Calvinus in Harmonia sua, super illud Lucæ: *Fili, quid fecisti nobis sic,* & *An nesciebatis &c.* Scripsit multum erroneè hæc: *S. Virgo, dum Materno dolori indulget, per incogitantiam eò delabitur, ut dicat; Fili, quid fecisti nobis sic: meritò Matrem reprehendit Christus.* Minimè per incogitantiam lapsa est Virgo, utpotè Sanctissima, & ab omni prorsus etiam veniali pec-

ali peccato semper immunis, ùt tenet S. Ecclesia, teste Concilio Tridentino, Sess. 6. Can. 23. Nec illa ejus verba, erant verba accusantis, & objurgantis Christum, quem noverat esse simul Deum; sed mirantis, atque dolentis, & dolorem suum explicantis. Nec responsio Christi, erat reprehensiva Matris. *Non* enim, ùt inquit rectè Beda hìc. *quòd eum quasi Filium quærat, vituperat: sed quod ei potiùs, cui æternus est Filius, debeat, cogit oculos mentis attollere.*

Sextò, Errat Calvinus; dum in sua Harmonia hìc, censet in Nuptiis in Cana Galilææ, B. Virginem non habuisse opinionem de Christo, ut ab illo miraculum ullum peteret, sed ideo illi defectum vini significâsse, ut pia aliqua exhortatione convivas consolaretur; peccâsséque in eo, quòd fines suos excessit, illâ suâ petitione. Hæc Sententia Calvini rejicienda omnino est: Tum quia satis clarè constat tam ex responso Christi, quàm ex sensu Patrum, Deiparam ab eo miraculum postulâsse; bene gnara, eum ideo venisse in hunc mundum, ut per doctrinam, & miracula, ad se eum traheret; postulat verò impulsu etiam compassionis, misericordiæ & charitatis. Tum quia Beatissima, ab omni semper actualis peccati macula fuit remotissima; ùt certum est ex fide: Et omnes docent Patres; è quorum numero S. Ambrosius ait serm. ultimo in Psalm. 118. *Maria Virgo, per gratiam, est ab omni integra labe peccati.* Et S. Hieronymus in Psal. 77. *Beata Virgo est nubes diei, quia non fuit in tenebris* (quale utique est quodlibet peccatum.) *sed semper in luce,* nempe gratiæ. Et S. Damascenus: *Ad hunc Paradisum, Mariam serpens aditum non habuit.*

Commentum ejus de B. Virginis petitione in Cana Galilææ.

Septimò. Impiè effudit in paginam Calvinus in commentario suo, in secundum caput Joannis, hæc: *Ex crassis, fœdísque superstitionibus provenit, quòd Sanctæ Virgini dentur à Papistis tituli sacrilegi, illi: Maria Regina Cæli, Spes, Vita, & mundi salus.*

Probatur non esse superstitiosum, quòd B. Virgo vocetur Regina Cæli, Spes, & Mundi salus.

salus. Quid blateras Calvine, craſſarúmne, fœdarúmne ſuperſtitionum rei & ſacrilegi fuerunt Patres, Sanctitate & doctrinâ clariſſimi; qui Sanctiſſimam Virginem illis titulis decorârunt? audi ſaltèm aliquos. S. Ephrem, Diaconus Ediſſenus, qui floruit anno Chriſti 306. Vir (ùt teſtatur S. Hieronymus lib. de Scriptoribus) ſublimis ingenii, tantámque claritudinem adeptus; ut ejus Scripta publicè in Eccleſiis, poſt lectionem Scripturarum, legi conſveverint; ſic in Oratione, de Laudibus Deiparæ, habet: *Intemerata Virgo, Deipara, Regina omnium, Spes deſperantium, ſalus mundi.* S. Bernardus, in primo ſerm. de Aſſumpt: *Maria, eſt Regina & Domina, Mater miſericordiæ.* Et in ſerm. de Aquæ ductu. *Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio* (poſt Deum) *Spei meæ.* S. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 11. *Maria, rerum omnium Conditarum Domina effecta eſt, cùm Creatoris Mater exſtitit.* S. Auguſtinus. *Tu es Spes peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum; & in te eſt noſtrorum expectatio præmiorum.* Similia habet Chryſoſtomus, Anſelmus, Ildephonſus & alii. Cur non ſit Regina Cæli? Utique omnes Beati Reges ſunt, juxta illud; *Beati Pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Quidni multò magis, Maria, vera Mater Regis Regum? Cur non Spes? cùm, *omnia Deus voluerit nos habere per Mariam,* ùt dicit S. Bernardus ſerm. de Aquæ ductu. Dicit quidem Jeremias. *Maledictus Vir, qui ſperat in homine,* ſed is maledictus, qui ùt ibidem, à Propheta additur: *Et à Domino recedit cor ejus:* qui autem piè rectéque in Maria confidunt; præcipuam ſpem habent in Deo: Cur non Vita? utíque S. Epiphanius Hæreſi 78. notat, Evam appellatam eſſe vitam, quæ Typus erat Mariæ, quæ verè ità dici meretur, cùm ſit Mater Chriſti, & per hoc facta eſt Mater viventium. Quidni Maria, Mundi ſalus? quæ genuit ſalvatorem mundi, Chriſtum; ſubminiſtravítque illi ſanguinem ſuum,

ſciens & volens, in pretium redemptionis hominum. Utique S. Paulus non timuit ſcribere ad Romanos 9. *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Dicitur Chriſtus Joan. 9. *Lux mundi*, & tamen eundem titulum ipſemet tribuit Apoſtolis, dicens, Matth. 5. *Vos eſtis Lux mundi.* Cur non & prædicta Encomia, quæ verè Chriſto Domino conveniunt, poſſunt etiam, in ſenſu aliquo, ſcilicet ſuperiùs explicato, tribui Deiparæ? Antequam caput hoc concludam, appono verba S. Ambroſii Epiſt. 7. *Claudat os Calumnia, taceat hæreſis* (& hæreſiarcha Calvinus) *nec ullum contra Dei Matrem contumelioſum verbum proloquatur.* Ex dictis conſtat; quòd ſemper antiquus ſerpens, ſicut olim per hæreſiarchas, ſic & per Calvinum, inſidietur Mariæ Calcaneo: verùm Ipſa glorioſè ſemper contrivit caput ſerpentis, & capita hæreſiarcharum.

CAPUT V.



Sſero quartò, Admirandè erronea eſt doctrina Calvini, de variis aliis Articulis Fidei.

PRobatur Inductione. primò, impiè docuit, in Sacramento Euchariſtiæ non eſſe veram realem Corporis Chriſti præſentiam. Hic error alibi eſt refutatus. Vide ſuprà in Tractatu primo cap. 2.

Secundò, unà cum Luthero multa impia Scripſit contra Sacrificium Miſſæ: cum eodémque Luthero aſſeruit, eſſe Chriſti præceptum, ut ab omnibus omnino fidelibus ſumatur ſub utraque ſpecie Communio Sacra. Non eſſe Sacramenta ſeptem, ſed tantùm duo. Sanctorum omnium

Opera peccata esse. Vota Religiosorum esse impia. Liberum arbitrium non dari humanum. Lib. enim 1. Instit. cap. 18. & lib. 2. Ca. §. 4. ait: *Nimis philosophicè hac de re, de libero arbitrio locuti sunt, qui se Christi jactabant esse Discipulos: nam quasi adhuc integer staret homo, semper apud Latinos, liberi arbitrii nomen exstitit: Græcos verò non puduit multò arrogantiùs usurpare vocabulum, siquidem αὐτεξούσιον dixerunt; acsi potestas sui ipsius penes hominem esset* Et in Antidoto ad Can. 5. Concilii Tridentini inquit: *Per liberum arbitrium, intelligunt Catholici eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta, ejusmodi arbitrium, titulum sinè re esse, qui affirmant, Christum habent authorem.* Sæpéque S. Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium, quòd liberum arbitrium, & bonorum Operum merita asserere soleant, Philosophos appellavit. His erroribus opposita Fidei Catholicæ dogmata esse vera, sufficienter demonstravi in libro, cui titulus: contra Lutherum Defensio Theologiæ Scholasticæ.

Refelluntur Errores Calvini de Merito Christi.

Tertiò, Negat impudenter, lib. 2. Instit. cap. 17. quòd Christus aliquid sibi meruerit, præsertim gloriam sui corporis, & judiciariam potestatem. Cùm tamen clarè dicat Scriptura Sacra, Ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod* (id est propter humilitatem & obedientiam, & passionem) *& Deus exaltavit illum &c.* Itèm ad Hebræos 2. *Eum autem qui modico, quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter Passionem Mortis, glorià & honore coronatum.* Itèm Apoc. 3. Christus de se dicit: *Ego vici, & sedi in throno Patris mei.* Porrò judiciaria potestas, & gloria Corporis, est quædam pars Christi exaltationis. Præterea idem dicunt SS. Patres: Chrysostomus Homil. 7. in Epist. ad Philipp. *Extremam Christus præstitit obedientiam, propterea accepit & supremum honorem.* Ambrosius in cap. 2. Philipp. *Quid, & quantum humilitas mereatur,*

tur, hìc ostenditur. Augustinus Tractatu 104. in Joannem, tractans illum locum S. Pauli, ad Philipp. 2. *Humilitas*, (inquit) *charitatis est meritum, Charitas humilitatis est præmium ; sed hoc factum est in forma.* Similiter explicant prædictos Textus Apostoli, Cyrillus, Basilius, Beda, Anselmus & alii.

Respondere quidem ad hæc conatur Junius Calvinista ; sed futiliter & mendaciter : ùt demonstrat Gretserus Tomo secundo in Defensione Bellarmini lib. 5. cap. 9. & 10.

Quartò, Lib. 4. Instit. cap. 15. & in Antidoto Concilii Tridentini Sessione 1. negat Calvinus in justificatione hominis, seu in mutatione illa, qua quis ex peccatore fit justus, verè tolli peccata : sed tantùm dicit, ea merè tegi & non imputari, cùm tamen in Scriptura Sacra clarè dicatur Joan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi.* Act. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Ezech. 7. *Projiciet in profundum maris, omnia peccata eorum.* *De peccatorum deletione.*

Confirmatur Veritas Catholica. Certum est in justificatione peccatoris maculas ablui : vincula disrumpi, vulnera sanari : juxta illud. Psal. 50. *Lavabis me & super nivem dealbabor.* Psal. 115. *Dirupisti vincula mea.* 1. Joan. 1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Ergo verè tolluntur peccata. Et certè ; Si tantummodo tegerentur peccata ; utique Deus, cui nuda sunt omnia, cerneret illa, & consequenter odio haberet, & illum in quo manent. Itèm in justificatione infunditur gratia Sanctificans, juxta illud : ad Rom. 3. *Charitas Dei diffusa est in Cordibus vestris, per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis.* Porrò, gratia sanctificans, cùm sit formalis Sanctitas, adeóque ab omni scelere puritas, non potest simul stare cum scelere, seu peccato gravi. Per obedientiam Christi formaliter non constituimur justi, sed meritoriè.

Ad illud quod dicitur Psal. 31. *Beati, quorum tecta sunt*

peccata. respondit pridem bene S. Augustinus in Enarratione 2. super Psal. 31. *Medicus tegit & curat: emplastro enim tegit, sub tegmine medici, vulnus sanatur.* Et suprà. *Non sic intelligatis, quod dixit: Peccata cooperta sunt, quasi ibi sint.* Cùm aliter Divinis oculis tegi non possint, nisi si deleantur.

De certitudine Prædestinationis suæ.

Quintò, lib. 3. Instit. cap. 24. docet, unumquemque Fidelem, debere, ac posse certâ fide apud se statuere, se esse prædestinatum; reprehendítque S. Gregorium, Magnum, quòd contrarium scripserit Homil. 38. in Evang. *Pessimè* (inquit) *Gregorius, vocationis tantùm nostræ conscios nos esse tradit, & electionis incertos.* E contra asserit Fides Catholica, quòd nullus, absque speciali revelatione divina possit in hac vita certò omnimodè scire, se esse prædestinatum. Hæcque Veritas definita est in Conc. Trident. Sess. 6.

Probatur primò. Quia nemo certus est de præsenti justitia, juxta illud 1. ad Corint. 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum; qui enim judicat me, Dominus est.* Et Eccles. 9. *Nescit homo, utrùm odio, an amore dignus sit.* Itèm S. Augustinus ait serm. 23. de Verbis Domini. *Fortasse, tu nihil invenis in Conscientia tua? invenit ille, qui meliùs videt.* Ergo multò magis non potest esse homo certus de perseverantia in justitia, seu gratia. Scriptura itèm dicit, ad Rom. 11. *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.* Et ad Philipp. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Et Psal. 2. *Servite Domino in timore, & apprehendite disciplinam; nè quando irascatur & pereatis de via justa.*

Probatur 2. ex SS. Patribus. Quis (inquit S. Augustinus lib. de Corrup. & Grat. cap. 13.) *ex multitudine fidelium, quàm diu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se præsumat?* Et S. Bernardus ait serm. 1. Septuagesimæ. *Quis potest dicere? ego de Electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero Filiorum? reclamante Scriptura: Nescit homo, an amore,*

an odio dignus sit. Idem loquuntur alii Patres: imò ipse Calvinus lib. 3. Instit. cap. 2. scripsit. *Experientia ostendit, reprobos interdum simili ferè sensu, atque Electos affici, ut nec suô quidem judiciô quidquam ab Electis differant.* Quomodo ergo quivis Fidelis certò scit, se esse è numero electorum? Neque dicas. Utique S. Paulus ad Rom. 8. ait. *Certus sum, quia neque vita, neque mors - poterit me separare à Charitate Christi.* Respondetur enim; vel S. Paulum de se loqui, eíque revelatum fuisse, se esse prædestinatum, & confirmatum in gratia: vel loquitur tantùm de certitudine morali, non fidei; unde etiam in græco textu est πέπεισμαι, id est, *confido,* persvasum habeo. ùt etiam legit S. Ambrosius & S. Hieronymus imò etiam Erasmus, & Beza, & patet id ex eodem S. Paulo, qui in eadem Epist. cap. 15. dicit, *Certus sum Fratres mei, quoniam pleni estis dilectione.* Ubi sanè non vult significare, se habere certitudinem fidei de dilectione Romanorum; sed tantùm moraliter certam persvasionem.

Assignantur tamen aliqua signa, ex quibus moraliter certum esse potest, aliquem esse prædestinatum. Inter alios recenset hæc signa etiam Cardinalis de Lugo lib. 1. de Deo. Disp. 45. cap. 3. primum Signum desumitur ex S. Gregorio lib. 34, Moral. cap. 22. dicente: *evidentissimum est signum reproborum superbia: Electorum humilitas.* Secundum, Ex S. Cypriano lib. 3. de bono Patientiæ dicente: *Nihil aliud magìs injustos; quàm, quòd in adversis injustus per impatientiam perit, & blasphemat; justorum verò patientia probatur.* Idem signum statuit S. Chrysostomus lib. 1. de Providentia circa finem. S. August. Epist. 5. ad Marcellum. S. Bernardus serm. 23. in Cantica: Tertium signum est Misericordia erga miserias aliorum. S. August. Tomo 3. serm. 44. ad Fratres in Eremo ait: *Nunquam recordor me legisse, mala morte periisse illum, qui libenter in hac vita, opera charitatis vel pietatis voluit exercere.* Similia habet

Signa aliqua Prædestinationis, recensentur.

bet Tractatu 5. in primam Joan. Et ipse Christus Matth. 5. dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi, misericordiam consequentur.* Quartum signum est; libenter audire Verbum Dei ùt colligit S. Gregorius ex illo Joan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Quintum, est testimonium bonæ conscientiæ. juxta illud ad Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit, quòd Filii Dei sumus, si autem Filii? & hæredes.* Hoc Signum comprobat & S. Bernardus serm. 1. & 2. in Octava Paschæ: Sextum desumitur ex ipso bono ac Sancto vitæ decursu, ùt ait S. Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. 22. & in Psalm 118. S. itèm Bernardus serm. 22. in Cantica.

Error Calvini de necessitate Baptismi.

Sextò, lib. 4. Instit. cap. 6. & in Antidoto Conc. Trident. Sess. 6. cap. 5. negat perperam Baptismum esse omnino necessarium infantibus fidelium, eò, quòd censeat, tales infantes esse Sanctos, ab utero Materno. Cùm tamen dicat expresse & universaliter, Christus Dominus Joan. 3. *Nisì quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; non potest introire in Regnum Dei.* Hìc autem loqui Christum de Baptismo aquæ, docent omnes Patres; & ipse Beza, Discipulus primarius Calvini. Et certè, aliàs non posset, ex tota Scriptura probari, Aquam veram, esse necessariam ad Baptismum: quod tamen ipse Calvinus in multis locis cum Catholicis asserit.

Confirmatur id ipsum ex traditione Ecclesiæ, definitione Conciliorum, & SS. Patrum. Semper enim Ecclesia credidit infantes perire, si absque Baptismo (aquæ vel sanguinis) de hac vita decedant. Itèm hoc definivit Concilium Carthaginense & Milevitanum apud S. Augustinum Epist. 90. & 92. & novissimè Concilium Tridentinum Sess. 7. cap. 5. In quibus Conciliis, damnatur ex professo, Sententia eorum, qui putant, infantes salvari, sinè baptismo. Idem etiam docent, Irenæus, Nazianzenus, Basilius, Cypri-

anus, Leo Papa, Prosper, Fulgentius, Bernardus & Alii; præsertim, S. Augustinus; qui lib. 30. de Anima, & ejus Origine cap. 9. ait. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad Originalium Indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* & Epist. 28. ad Hieronymum: *Quisquis* (inquit) *dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sinè Sacramenti ejus participatione de vita exeunt; hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam; ubi propterea, cum baptizandis parvulis, festinatur, & curritur: quia sinè dubiò creditur, aliter eos, in Christo vivificari omnino non posse.*

Neque dicas cum Calvino: utique S. Paulus scripsit ad Fideles Corinthios. 1. Corinth. 8. *Filii vestri, Sancti sunt.* Respondetur enim cum SS. Patribus, per vocem hanc *Sancti*, non intelligitur Sanctitas propriè dicta; per quam aliquis fit Filius Dei adoptivus: Quia pariter scripsit Apostolus ibidem: *Sanctificatus est Vir infidelis, per mulierem fidelem*: certum autem est apud omnes etiam Calvinistas, Virum infidelem per fidelem Conjugem suam, præcisè & propriè, non sanctificari. Sensus ergo Verborum S. Pauli est, *Filii vestri sunt Sancti*, id est, *mundi*, mundi autem, id est ex honesto & legitimo Matrimonio concepti, & nati: mundi itèm, quia manente fideli cum infideli in conjugio, & connivente infideli, facilè fidelis Parentis fide, & curâ, sanctificari, baptizari, & Christianè educari possunt: ùt explicat S. Augustinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 26. & lib. 3. cap. 11. Itèm S. Hieronymus Epist. 153. ad Paulinum, & alii.

Error de Animabus Sanctorum.

Septimò, Dicit esse temerarium & stultum inquirere utrùm Animæ justorum, cælesti gloriâ fruantur; & tamen in eodem cap. & §. Homo immemor sui (verè stultus, & temerarius, etiam ex eo, quia sibi repugnans) determinat iniquè, quòd necdum potiantur promissâ gloriâ. Quia verò ali-

rò aliqui Calvinistæ negant, id doceri à suo Calvino; quare audiantur verba illius. Lib. 3. Instit. cap. 25. §. 6. dicit: *Valde se torquent multi, disputando, quem locum occupent* (animæ separatæ) *& an Cælesti gloriâ jam fruantur, nécne? atqui Stultum & temerarium est, de rebus incognitis altiùs inquirere; quàm Deus nobis scire permittat; interea quum Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventûs Christi, & gloriæ Coronam eò usque differat; Contenti simus his finibus, divinitus nobis præscriptis, animas piorum, militiæ labore perfunctas, in beatam quietem concedere: ubi, cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ exspectant: atque ità omnia teneri suspensa, donec Christus appareat Redemptor.* Et dicit lib. 4. Instit. c. 20. Solum Christum ingressum esse Sanctuarium Cæli: reliquos verò omnes residere in atrio, ibíque exspectare usque ad mundi consummationem. Si stultum & temerarium est, quærere, utrùm Animæ Justorum, gloriâ Cælesti fruantur? Ergo Stulti sunt SS. Patres ferè omnes Latini & Græci; qui docuerunt, quòd fruantur: stulta & temeraria Concilia Oecumenica, Florentinum, & Tridentinum; quæ hoc definiverunt: stulta & temeraria Ecclesia quæ in Orat. de S. Gregorio Magno dicit: *Deus qui Animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti &c.* Voluítne S Paulus exspectare in atrio? *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*? Nónne hoc dicens, desiderabat esse cum Christo in gloria Cælesti? Utique Christus *ascendens in altum*, (id est summum cælum) ùt explicat Hieronymus, Ambrosius & alii passim Patres, patétque ex verbis additis S. Pauli. *Qui descendit, ipse est qui asendit super omnes Cælos. Captivam duxit captivitatem* ad Ephes. 4. Scilicet multitudinem sanctarum animarum, quas secum ex limbo ad Cælum adduxit. Et de SS. Martyribus, scriptum in Apocal. cap. 7. *Hi qui amicti sunt stolis albis, sunt ante Thronum Dei; & serviunt ei die ac nocte in Templo ejus.* Ante Thronum autem Dei esse, quid aliud

aliud est, quàm habere Deum in conspectu, ejúsque visione beatifica frui?

Octavò, Nec impiorum animas, corpore separatas, gehennæ supplicia jam tolerare, affirmat, dicit enim lib. 3. Instit. cap. 25. §. 6. *Reprobis, eandem esse sortem, dubium non est; quam Judas diabolis assignat, vinctos catenis teneri, donec ad supplicium, cui addicti sunt, trahantur.* Hinc sequitur reproborum animas, & dæmones ad hoc supplicium necdum tractos esse. Cur ergo Christus Dominus testatur Epulonem in tormentis esse, & clamàsse: *Crucior in hac flamma?* idémque de aliis animabus impiorum, testantur Historiæ, fide dignissimæ. Porrò, dicta à Christo de Epulone, esse veram Historiam & non meram parabolam, docent Patres ferè omnes, ùt Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Chrysostomus, Gregorius Magnus, Ambrosius, Euthymius &c. Idque ipsum luculenter rationibus probant Interpretes Sacræ Scripturæ, ùt videre est apud Cornelium à Lapide & alios. Epulo ille vocabatur Nincusis, ùt teste Euthymio habet Hebræorum traditio, domúsque illius est hucusque Hierosolymis, ùt scribit oculatus testis, Franciscus Quaresmius Minorita, olim Terræ Sanctæ Præsul, ac Comissarius, Tomo secundo in Elucidat. Terræ Sanctæ. *Itèm de Animabus impiorum.*

Nonò, lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. universaliter & impiè dicit: *Concludere in Carcere, mortuorum animas, puerile est.* Et in Commentario suo in cap 30. Isaiæ, propè finem, vocat somnium, censere, impios mortuos concludi in aliquo loco. Negat itèm damnatos in gehenna uri igne: pœnámque damnatorum asserit non esse aliud, quàm quod apprehendant jugiter Deum sibi esse iratum, hac enim apprehensione eos torqueri, & cruciari. Sapienter exclamat doctissimus Cornelius à Lapide in Commentario suo, in Isaiæ cap. 30. Vide, quàm res fidei enervet Calvinus, quámque *Error de Carcere damnatorum.*

 metum

metum Dei & inferni, hominibus eximat; dum eum facit imaginarium, & phantasticum: Hæc est fraus diaboli, ut homines sinè metu gehennæ, impune peccent.

Nec non & de Custodia Angelorum.

Decimò, Calvinus dicit esse falsam vulgi Opinionem, illam Catholicorum Sententiam, quæ asserit, singulis hominibus proprium Custodem Angelum assignari: Cùm tamen Orthodoxa hæc Sententia expreßè doceatur & supponatur à Scriptura Sacra, Matth. 18. versu 10. *Angeli eorum, semper vident faciem Patris mei.* & in actis Apostolorum cap. 12. versu 15. *Angelus ejus est.* Idem clarè docent SS Patres, Justinus, Basilius, Chrysostomus, & alii è quorum numero S. Hieronymus in cap. 66. Isaiæ dicit. *Quòd unusquisque nostrûm habeat Angelum, multæ Scripturæ docent.* Et super cap. 18. ait. *Magna dignitas Animarum, ut unaquæque ab ortu nativitatis, in sui custodiam habeat Angelum delegatum.* Sentiunt itèm probabiliter & communiter Doctores Scholastici, quibus favent aliqui ex Patribus, & antiquissima Judæorum traditio, singulis hominibus, dæmonem tentatorem esse assignatum, non quidem à Deo, sed à Lucifero, Dei Operum imitatore:

CAPUT VI.

Resolvit Calvinus erroneè. Non nisi à Ministro Ordinario Ecclesiæ, posse conferri Baptismum.



Ssero sextò, Admirandè erroneæ sunt Calvini resolutiones variorum Casuum.

PRobatur. Quis enim Orthodoxorum non miretur, Calvinum adeò erroneè resolvisse Casus sequentes?

Primò enim lib. 4. Instit. cap. 15. resolvit, quòd etiam in extrema necessitate non liceat baptizare, iis, qui non sunt Ordinarii Ecclesiæ Ministri, ad hoc ipsum vocati & ordi-

ordinati. Resolutionem hanc suam fundat in eo, quòd Christus Dominus, non quibuslibet hominibus mandavit, ut baptizarent; sed quos Apostolos constituerat, iis mandatum hoc dedit. Non licèt ergo aliis id munus usurpare. E contra Ecclesia Catholica semper tenuit, ùt certum, quòd in extrema necessitate, scilicet, quando infantes graviter periclitantur de vita, nec ullus adest, nec adesse potest facilè Ecclesiæ Ordinarius Minister : tunc etiam Laicis, imò & Mulieribus, non quidem solenniter, & ex officio, sed extraordinariè, & ex necessitate privatim, baptizare liceat. Hæcque veritas probatur praxi continua, Ecclesiæ; à sui exordio, ùt non diffitetur ipsemet Calvinus, dicens Lib. 4. Instit. cap. 15. sect: 20. *Quòd autem multis abhinc sæculis, adeòque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio, usu receptum fuit, ut, in periculo mortis, laici baptizarent, si Minister in tempore non adesset; non video, quàm firma ratione defendi queat.* Nónne ipse consensus Ecclesiæ totius, isque antiquissimus, apud prudentem Christianum, esse, debet firmissima ratio? Utique *Mos populi Dei & Instituta Majorum, pro lege tenenda sunt?* ùt rectè annotavit S. Augustinus in Epist. 86. ad Casalinum. Utique è sensu ejusdem S. Doctoris in Epist. 118. ad Januarium. *Si quid, tota per Orbem terrarum frequentat Ecclesia: hoc quin ità faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est?* Approbàrunt hanc praxim Ecclesiæ, Concilia, Elibertinum, Canone 38. docens, fideles Laicos posse baptizare, cùm, Ecclesia procul abest, & aliquis Catechumenus vicinus est morti. Cathaginense IV. cui S. Augustinus interfuit : *Mulier* (inquit Can. 100.) *baptizare non præsumat, nisì necessitate cogente.* ùt prædictis verbis citat hunc Canonem Magister lib. 4. Senten. Distinct. 6. & Gratianus Can. Mulier. de Consecrat. Dist. 4. Florentinum, & antiquissimus Doctor S. Hieronymus, in Dialogo contra Luciferianos, ait. *Baptizare, si necessitas cogat, scimus, etiam licere Laicis.*

Quod Calvinus ad Confirmandam suam erroneam resolutionem affert, contrà ipsummet militat; ut bene notat Bellarminus, cum aliis. Sicut enim docere Gentes, licèt sit munus proprium Apostolorum, & Episcoporum, qui eis succedunt: tamen omnibus id licet, imò omnes tenentur in articulo necessitatis, docere & instruere ignorantes; præsertim in periculo æternæ salutis: ità etiam, licèt munus baptizandi, sit proprium Sacerdotum, tamen in gravi necessitate, licebit etiam Laicis & fæminis baptizare: imò potiori ratione id licebit, cùm sit magis proprium Apostolorum & Episcoporum, prædicare, quàm baptizare, juxta illud S. Pauli. 1. Corint. 1. *Non misit me Dominus baptizare, sed prædicare.* Tertullianus & S. Epiphanius à Calvino citati, loquuntur, tantùm de publico Ministerio & Ordinario Baptismi, non de privato, & extra ordinario, in Casu gravis necessitatis. S. etiam Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. rectè dicit, esse veniale peccatum cùm Laici non adhibent seriam diligentiam, ut Sacerdotem inveniant, qui baptizet.

Esse invalidum Baptismum, si à privato homine conferatur.

Secundò, Resolvere videtur, non tantùm illicitum, sed etiam invalidum esse Baptismum, si conferatur à privato homine, præcipuè à mulieribus obstetricibus, licèt adhibeant debitam materiam & formam Baptismi. *Nemo* (inquit Epist. 326 *privatus, Baptismi legitimus est Minister. - & adulterinum Baptismum censemus, qui administratus est à privato homine.* Et Epist. 278. dicit: infantes à fæminis baptizatos, debere à Pastoribus legitimô baptismô consecrari, & Baptismum priorem pro nihilo ducendum esse. Et Epist. 51. ad Mompelgardenses. *Baptismum* (inquit) *Obstetricibus permittere, impia & sacrilega est Baptismi profanatio.* Idem sensit & Beza: Nam in Quæstionibus, & Responsionibus de Baptismo scripsit. *A privatis* (inquit) *vel ministeriô Verbi non fungentibus Personis, administratus Baptismus, non pluris faciendus est, quàm fabula.* Dictæ Resolu-

solutionis falsitas constat ex dictis suprà. Quibus accedit: quòd, ùt legitur Act. 9. Ananias (qui erat homo Laicus) Paulum baptizaverit. Et ipso die primo Pentecostes, baptizata sunt tria hominum millia, quod factum esse non per solos Apostolos, sed etiam per alios Christianos, qui Laici erant, probabilissimum est: illi enim etiam 72. discipuli erant tunc Laici. Alexandrina itèm universa Ecclesia censuit, validum fuisse Baptismum, quem Athanasius, adhuc puer & Laicus, aliis pueris contulerat. Imò post determinationem Nicolai Papæ & Concilii Florentini, certum jam est, Baptismum esse validum, si conferatur etiam ab homine gentili, aut Judæo; modò adsint materia, forma, & intentio debita; non enim in baptizante indispensabiliter requiritur fides, probitas, aut ordinatio.

Non esse admittendos ad Baptismum Catholicorum Infantes.

Tertiò, Resolvit, Catholicorum liberos seu (ùt ipse verus Satanista vocare solet) Papistarum, non esse admittendos ad Baptismum. *Liceátne* (inquit ille Epist. 149. ad Farellum) *quæris, Ordinis nostri Ministris, qui puram Euangelii* (scilicet quinti) *doctrinam profitentur, ad Baptismum admittere infantem, cujus Pater ab Ecclesiis nostris alienus est; Mater verò ad Papatum defecit: ità ut Parentes ambo sint Papistæ: ità respondendum censuimus; absurdum esse, ut eos baptizemus, qui Corporis nostri membra censeri nequeunt.* Sic dæmon, per Calvinum, infantibus Catholicorum obstruere nititur viam ad Cælum. *Nisì enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Dei:* Vide dicta suprà cap. 5.

Baptismum non debere conferri, nisi post Concionem.

Quartò, Resolvit non esse administrandum Baptismum, nisì post Concionem in Cætu fidelium, qui cætus nobiscum (inquit Calvinus Epist. 185.) ejusdem sit professionis. Unde scribit Heshusius, Calvinum, cùm in Templo esset, jussum à suis, ut properaret baptizare puerum imbecillem, tunc natum, respondisse: cras horâ solitâ baptizatum iri, si supervixerit;

vixerit; sícque infantem, finè baptismo, ejus culpâ, extinctum.

Baptismum esse validum etiamsi locò aquæ substituatur alius liquor.

Quintò, videtur resolvere in defectu aquæ elementaris & naturalis, posse fieri baptismum aliquo alio, quocunque liquore, puta, vinô, cerevisià, oleo, crematô, (imò per paritatem rationis, etiam sudore hominis vel equi) si enim ipsius judiciô (ùt patebit infrà) in Cœna Dominica, potest pro vino substitui cerevisia, mulsum, vel alius liquor. quidni & locò aquæ in Sacramento Baptismi, possit substitui & alius liquor, ex supra recensitis? Hócque ipsum expreßè docet Beza, primarius Calvini discipulus in Epist. 2. ad Thomam Tilium. *Desit* (inquit) *aqua, & tamen Baptismus alicujus differri cum ædificatione non possit, nec debeat, ego certè quovis alio liquore, non minùs ritè, quàm aquâ baptizarim.* Et hæresi huic suæ adjungit crassam calumniam impudénsque mendacium: *Nec aliter de his rebus, ipsi etiam superstitiosissimi Scholastici Scriptores censuerunt.* Quis unquam vel unicus Scriptor Orthodoxus hoc censuit? Quis itèm Bezæ & Calvino contulit potestatem, substituendi aliam Baptismi materiam, ab ea, quam Christus designavit. *Nisì quis renatus fuerit ex aqua.*

Cæremonias Catholicorum in Baptismo non esse adhibendas.

Sextò, Resolvit lib. 4. Instit. cap. 15. & alibi: Omnes ferè Cæremonias quæ adhibentur in Baptismo Catholicorum, esse ridiculas, nullius momenti, & rejiciendas. Cur rejiciendæ? Utique eas Ecclesia Christiana, quæ est Columna veritatis, regitúrque à Spiritu Sancto, à sui exordio adhibuit in Baptismo, ùt fusè & evidenter deducit Bellarminus & alii? Cur rejiciendæ? quæ à legitimis Ecclesiæ Pastoribus, quibus Christus dedit potestatem ligandi, solvendi, leges condendi, sunt ab antiquo præscriptæ, & semper usurpatæ? si dicas ideo rejiciendas; quia non sunt in Scriptura expreßè nominatæ. Quid tum? profer locum, quo probes eas à Scriptura rejectas esse. Itèm, utique tu Calvine in libello de For-

Formula Sacramentorum ministrandorum, præscribis Cæremonias has: Scilicet, ut infans adferatur ad Baptismum die Dominico, aut alio die, quo populus ad Concionem venit: ut Patrini, seu fidejussores spondeant, se infantes illos, cùm adoleverint, instructuros in doctrina fidei: ut imponatur nomen baptizato: ut recitetur Symbolum, & Oratio Dominica, aliæque preces. Est quidem in Scriptura Oratio Dominica expressè, Symbolum etiam, quò ad sensum suum, continetur in Scriptura; sed ubi in Scriptura est? ut hæc recitentur aut debeant recitari, dum baptizatur infans?

Posse validè Consecrationem fieri in aqua vel Cerevisia.

Septimò, Resolvit, in defectu vini, posse, in Cœna Dominica sumi aliud quodcunque potionis genus, puta aquam puram, vel cerevisiam, mulsum, crematum, vel alium liquorem potabilem. Sic enim Beza testatur, & firmiter comprobat Epist. 25. *Rogatus Calvinus à Fratribus, qui tum in America erant, ubi nullus est vini usus, licerétne pro vino uti in Cœna Domini vel aquâ simplici, quâ plerumque illic utuntur, vel alio illic non inusitato potionis genere: Respondit: fuisse Christi in hoc instituendo Sacramento, Consilium, Spiritualis alimoniæ, id est, sui ipsius κοινωνίαν, nobis, sub communis cibi, ac potûs Symbolis, repræsentaret, ac proinde, si non fuisset tum in Judæa, communis vini usus, proculdubio aliâ vulgari potione usurum fuisse; quod ex ipsius scopo, ac consilio liqueat. Itaque nihil à Christi consilio ac voluntate alienum facere videri, qui, non contemptu, neque temeritate, sed ipsa necessitate adacti, pro vino, aliud in iis Regionibus usitatæ potionis genus usurparent. Hoc Calvini Consilium, ùt optima ratione nixum, & Christi Consilio consentaneum, noster cœtus comprobavit - ad mutuam autem conjunctionem, hoc Sacramento testificandam sufficit: quòd iisdem in genere Symbolis, nempe cibo & potu utamur, eandémque fidem testificemur.* Bone Deus! quanta & quàm cæca impietas! Rejicit uterque, Calvinus nempe & Beza, cæremonias in Ba-

in Baptiſmo adhiberi ſolitas, ab Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus, pro tradita ſibi poteſtate ligandi, atque ſolvendi, leges condendi, inſtitutas: ab incunabulis Eccleſiæ Orthodoxæ, ſtudiosè retentas, uſurpatas: Doctorum & Conciliorum conſenſu approbatas: & rejicit eas ex eo, quia expreſsè in Scriptura non continentur. Et en! ſinè ullius omnino Scripturæ Sacræ verbo, ſinè ullo alicujus antiqui Doctoris probati, teſtimonio, contra claram inſtitutionem Chriſti, & præceptum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Contra Apoſtolorum praxim, & Statuta Eccleſiæ, Conciliorum, & Patrum, audent docere, in Cœna Dominica, poſſe ſubſtitui locò vini, cereviſiam, aquam puram; itèm in Baptiſmo, locò aquæ poſſe ſubſtitui vinum vel alium quemcunque liquorem, quidni & equi vel hominis lotium?

Itèm locò panis, in Caſeo vel Carnibus.

Octavò, Inevitabiliter ex immediata reſolutione, per rectam argumentationem ſequitur, reſolutio hæc: Quòd in defectu Panis, vel ſi quis ità ſit debilis, ut panem deglutire nequeat, poſſint, in Cœna Dominica ſumi pultes vel Caſeus recens, vel carnes qualeſcunque comeſtibiles. Utique juxta Calvinum, *fuit Chriſti Conſilium, in hoc inſtituendo Sacramento; ut nobis ſui ipſius κοινωνίαν ſub Communis cibi ac potûs Symbolis repræſentaret, ac proinde ſi non fuiſſet tunc in Judæa, communis uſus panis, procul dubio alio vulgari cibo uſurus fuiſſet.* mutuáque conjunctio juxta Bezam ſufficienter declararetur: licèt, locò panis, ſumerentur pultes, vel carnes vitulinæ, aut porcinæ.



CA-

CAPUT VII.

ASsero septimò, Admirandè sunt erroneæ Calvini Resolutiones, aliorum casuum.

PRobatur. primò enim in Libro de necessitate formandæ Ecclesiæ & in Admonitione de Reliquiis, resolvit: Casu quo devenirent in manus ejus, vel ejus sequacium, sacræ Reliquiæ Sanctorum; nullo modo eas coli debere, cùm cultus talis sit superstititio grandis, imò Idololatria: adeoque Reliquias illas, potiùs esse abjiciendas, aut igne consumendas. Quod etiam superabunde executi sunt Calvinistæ Hugoniti. Nam caput Sacrum S. Mathiæ Apostoli: Cranium S. Joannis Baptistæ; Corpora Sanctorum, Irenæi, Hilarii, Martini, & multorum aliorum Sanctorum effossa, cum magna parte vivificæ Crucis Domini Nostri Jesu Salvatoris, flammis tradiderunt; Cineresque in profluentum sparserunt. Idem olim cum Calvino impiè docuit & fortè patravit impius Copronymus Imperator: Eunomius, & Vigilantius Hæresiarchæ. Scripsit quondam in libro contra Vigilantium, S. Hieronymus: *Dolet Vigilantius* (imò ringitur Calvinus, Lutherus, cum asseclis.) *Martyrum Reliquias, pretiosô operiri velamine & non, vel pannu, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium; ut solus Vigilantius, ebrius & dormiens adoretur.* Ità contra Sanctos & Amicos Dei, eorúmque Corpora & Reliquias Sacras, frendent, & barbara rabie insurgere consveverunt hæretici: Verùm doleant, ringantur, & insurgant hæretici: *Nos Orthodoxi, Sanctorum Corpo-*

Resolvit. itèm erroneè si potiantur Calvinistæ templô Catholicorum, Reliquias esse ejiciendas.

ra (verbis loquor S. Auguſtini lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 73.) *& præcipuè Beatorum Martyrum Reliquias, ac ſi Chriſti membra, Sinceriſſimè honoranda credimus.* Honorem enim, & cultum Reliquiarum, approbat Scriptura Sacra; approbando cultum ſepulchri Chriſti (juxta illud Iſaiæ 11. *Sepulchrum ejus erit glorioſum*) & fimbriæ ejus (quam hæmorrhoiſſa Mulier piè tetigit, & ſanata eſt Matt. 9.) umbræque S. Petri (ad quam accurrebant ægri, & ſanabantur Act. 5.) ac ſudariorum, ſemicinctoriorum S. Pauli (quæ deferebantur ad ægrotos, & curabantur. Act. 19.) Approbat itèm cultum Reliquiarum, innumera multitudo miraculorum; quæ ad præſentiam & contactum earum patrata ſunt, ad probandum cultum Reliquiarum: Approbat tota Chriſtiana Antiquitas, Praxis Eccleſiæ, Concilia, præſertim Nicænum ſecundum, Gangrenſe, Carthaginenſe V. Lateranenſe, & alia. Approbant omnes SS. Patres. Quòd ſi Calvine dicas mihi, quid honoro, in carne jam reſoluta, atque conſumpta? Reſpondeo cum S. Ambroſio ſerm: 93. de SS. Nazario & Celſo: *Honoro in Carne Martyris, exceptas, pro Chriſti Nomine cicatrices. Honoro viventis memoriam perennitate virtutis: Honoro per Confeſſionem Domini, Sacratos cineres: Honoro in Cineribus ſemina æternitatis: Honoro Corpus, quod mihi Dominum oſtendit diligere: quod me, propter Dominum, mortem docuit non timere. Honoro Corpus, quod Chriſtum honoravit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in Cælo.* Quòd ſi dicatur, Reliquias Sanctorum ſuperſtitiosô modò à nobis honorari, & idololatrico. Reſpondetur, merè id calumniosè & impudenter dici.

Itèm Imagines Chriſti & Sanctorum.

Secundò, Lib. 1. Inſtit. cap. 11. Reſolvit, Caſu quo, potiantur Calviniſtæ templo Catholicorum: Imagines Chriſti & Sanctorum, ex eo eſſe amovendas. Rationem, inter alias dat hanc: Quia in primis quingentis annis, nullæ fuerunt imagines in templis Chriſtianorum. Sed ratio allata Calvi-

Calvini, grande continet mendacium. Nam, SS. Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus: Itèm Tertullianus, Sozomenus, Nicephorus, & alii plures, qui primis quingentis sæculis vixerunt, testantur evidenter oppositum: ùt videre est apud Bellarminum, & alios. Statuuntur imagines, & statuæ insignium virorum in palatiis, Aulis, foris publicis; imò in plerisque Lutheranorum Templis, Lutherus & Melanthon picti conspiciuntur: in Calvinianis itèm quibusdam delubris, sed & viliorum hominum statuæ visuntur (immemores Calvinistæ eorum, quæ institutor illorum scripsit lib. 1. Instit. cap. 11. §. 13. *Indignum mihi videtur templorum Sanctitate; ut alias recipiant imagines, quàm vivas illas & iconicas, quas verbo suo Deus consecravit; Baptismum intelligo & Cœnam Domini*) Cur non & imagines Amicorum Dei in templis collocandæ? ut eorum aspectu, ad imitationem illorum, accendamur, per virtutum exercitium: per tolerantiam in adversis pro Christo: ad corroborandum nos in fide Sancta: pro qua defendenda, acerbissima quæque cum exultatione, sustinuerunt SS. Martyres. Accedit, quòd dictam resolutionem suam Calvinus desumpsit ab Iconomachis; quorum primipili fuerunt Judæi, Samaritani, Mahometani, Necromantici; & manifesti hæretici, ùt Valdenses, Vicleffus, Carolstadius.

Tertiò, Resolvit, abroganda esse Festa Sanctorum, præcipuè Festum Conceptionis & Assumptionis B. Virginis. Ità enim Epist. 51. ad Mompelgardenses suos scribit: *In Festis, non recipiendis, cuperem vos esse constantiores; sic tamen, ut non litigetis de quibuslibet, sed de iis tantùm, quæ nec in ædificationem, quidquam factura sunt, & superstitionem, prima ipsa facie, præseferunt. Et habetis plausibilem excusandi materiam. Nam in Papatu, magna celebritate Conceptionem, & Assumptionem Virginis coluerunt. Quid habebit servus Christi, quod dicat, si suggestum conscenderit illis* *Abroganda esse Festa Sanctorum.*

 diebus?

diebus! nisi, ut eorum stultitiam rideat, qui tales ferias excogitârunt? Multùm itèm displicuit, eidem Festum Annuntiationis, B. Virginis: illúdque abrogare conatus est; eò, quòd Galli, illud Festum appellent Festum nostræ Dominæ in Martio. Scribit enim Epist. 128. ad Ministrum Burensem: *Quòd diem Conceptionis Christi* (intellige Annuntiationis) *sub Mariæ nomine Plebs colebat; acriter in eam superstitionem, quotannis invectus sum. Galli enim, suâ linguâ, Festum Nostræ Dominæ in Martio, appellant?* Approbat itèm abrogationem omnium Festorum, exceptô die Dominico, factam à Farello, & Vireto, primis Genevensium seductoribus; ùt patet ex citata Epistola, in qua scribit: *Farello & Vireto, utile visum fuerat, omnes dies festos præter Dominicam, Genevæ abrogare: ego receptæ consvetudini libenter acquievi.* Non culpatur Mardochæus, quòd cum Regina Esther instituerint *Festum sortium*, & obligaverint ad illud servandum. *Nulli liceat, hos duos dies absque solennitate transigere.* Esther cap. 8. Nec culpantur Machabæi, quòd Festum Encæniorum instituerint, licèt Deus, Festa illa instituenda non expreßè mandaverit. Nec reprehenduntur Novatores, quòd Vitebergæ & Heydelbergæ, instituerint festum, & quidem jubileum natalitium suarum Academiarum. Et audet Calvinus, erroris damnare Universam Ecclesiam Sanctam Christianam, quam Spiritus Sanctus regit, & docet omnem veritatem, quòd ab illa instituta sint Festa Sanctorum & B. Virginis? Aditote Calvinicolæ, templa Catholicorum, diebus Festis Conceptionis & Assumptionis B. Virginis, audite Concionatores Catholicos, veros servos Christi; & audietis ab illis talia dici; quibus manifestè arguatur impudentis mendacii vester Calvinus, qui scripsit, illis diebus, nihil haberi, quod dicatur: *Nisi ut eorum stultitia rideatur, qui talia Festa excogitârunt.* Quod autem congruè vocetur B. Virgo, Domina nostra, constat ex dictis suprà in hoc Tractatu cap. 4.

Quar-

Quartò, Resolvit commentando in Caput 15. Exodi. omnia instrumenta musica ex templis amovenda esse. Rationem allegat suæ resolutionis hanc: Quia musica instrumenta ad legales Veteris Testamenti cæremonias spectant, quæ proinde abrogavit Christus utpote simplicitati Euangelicæ repugnantia. simplicitati Christianæ & Legi Christi non repugnat magnificentia templorum, & decor in iisdem, usus luminum, Sacerdotum ornatus, Cantus itèm & Psalmodia: nec hæc abrogata censentur à Christo. Et cur Organa & Instrumenta musica repugnabunt Legi Christi, adeoque dicantur abrogata? *Instrumenta musica ex templis removenda.*

Certè, Templa nostra Orthodoxa in quibus peraguntur Sacro-Sancta tremenda mysteria, omni Ornatu, jubilô & concentu dignissima sunt. Non censuit Calvinus simplicitati Christianæ opponi, quòd in Sacrilegis Nuptiis suis cum Ideletta, usus fuerit musicorum instrumentorum: & reprobat usum Musicæ ad laudem DEI? Credo, hanc resolutionem displicere Lutheranis ipsis & Calvinistis: siquidem in earum Ecclesiis saltèm plerisque, musica resonant instrumenta.

Quintò, Resolvit, si quis Christianorum, vitâ fungatur, nullatenus convenire ei precari faustam resurrectionem. *Precationis formula* (Scribit ille, Epistola 366. ad Varellum Ministrum Mompelgardensem) *ut Deus bonam & felicem resurrectionem det mortuis, repudietur.* Non probat itèm pulsum Campanarum Ecclesiæ, dum quis expiravit, vel ante funeris deductionem, vel dum funus deducitur: ùt patet ex ejus Responso dato Mompelgardensibus Ministris Anno 1543. Non probat autem ex eo, nè populus Christianus, audito pulsu Campanarum, prorumpat in vota & preces pro defuncto. Id etiam olim non probàrunt impii Albigenses hæretici, qui quidqùid beneficii mortuis à vivis impenditur, irridebant: *Si quis vitâ fungatur, non pulsandum.*

 nullum,

nullum, nec infernum, nec purgatorium, pro defunctis esse arbitrantes.

Monachos, Religiosos, expellendos ex Urbe.

Sextò, Resolvit, Casu quo in potestatem Calvinistarum veniret Urbs Catholica, ex ea quàm primùm omnes Monachos, Religiosos, pellendos: imò è mundo tollendos, utpote, cùm sint (ùt mendacissimè scribit lib. 4. Institut. cap. 13.) *omni Vitiorum turpitudine inquinati, Sophistæ, Schismatici, homines dæmoni devoti, magicis superstitionibus oppleti.* Idem antea censuerunt & Ariani, ideoque cum Imperatoribus, præsertim Valente, summo furore in Monachos insurgebant. ùt scribit Ruffinus lib. 11. Hist. Circumcelliones itèm, seu Scotopistæ hæretici, genus hominum agreste, & famosissimæ audaciæ (teste Sancto Augustino lib. de Hæresibus cap. 69.) insultabant Orthodoxis, de Monachis, dicentes. *Quid sibi vult nomen Monachorum? ubi scriptum nomen Monachorum?* eósque persequebantur, ùt refert S. Augustinus in Psal. 132. Viclefus etiam Hæresiarcha, impiè dixit: Omnes Religiones, introductas esse à Diabolo, Claustra ingredientes esse Viros Diabolicos, & hæreticos: dantésque eis eleëmosynam, esse excommunicatos. Sed quid mirum, quod Hæretici adeò infensi sint Monachis, & Religiosis? Siquidem Auctor omnium hæresum, *diabolus omnes quidem Christianos* (ùt scribit S. Athanasius in vita S. Antonii) *habet odio, sed probos Monachos, Christíque Virgines, tollerare nullo modo potest.* Et ratio hujus ipsius, inter alias est hæc: Quia novit Dæmon, & hæretici quòd prostratis Religiosorum Ordinibus, non magno labore de reliquis victoriam referrent. Notatúmque est à plurimis Viris gravissimis, quòd, sicut nullus pietatis amans scriptor exstitit, qui Religiosum Statum, & in eo viventes, non eximiis decoraverit Elogiis:Ità è contra nullus repertus hactenus Hæreticus formalis, qui Religiosi nomen, exeeratus non fuerit.

Septi-

Septimò, Resolvit, Casu quo Reges & Principes Catholici tueantur sedulò fidem suam antiquam, & hæreticos puniant, tunc indignos censet, qui in album hominum referantur: additque in cap. 6. Danielis *Abdicant se potestate terreni Principes, dum insurgunt contra DEUM* (id est, dum hæreticos, præsertim Calvinistas puniunt) *imò indigni sunt, qui censeantur in hominum numero. Potiùs ergo conspuere opportet in illorum capita, quàm illis parere, ubi sic proterviunt, ut velint Spoliare Deum Jure suo.* Id est non permittere liberum exercitium Calvinismi & quinti Euangelii. Similiter Casum prædictum resolvit passim Beza in libris suis: & Epistola sua 41. dicit: *Caveant sibi fideles inire unquam fœdus cum Satana.* per Satanam intelligendo Catholicum Regem Galliarum cum quo prohibet suis, nè ei obtemperent. Hásque Resolutiones multùm seditiosas avidè amplexi sunt Novatores in Galliis, Belgio, & alibi, cum ingenti profluvio sanguinis Christiani, cum demolitione plurimorum Monasteriorum, demolitione Arcium, devastatione Urbium, Oppidorum, ad Reges Galliarum, & Hispaniarum debito Jure spectantium. Ad raucedinem usque clamant Novatores: per summum scelus à Catholicis asseri, Summo Romano Pontifici (quem constat ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, esse legitimum, verum, visibilem Pastorem totius Ecclesiæ Christi) inesse potestatem excommunicandi, & deponendi Reges hæreticos, Vastatores & Exterminatores Ovilis Dominici: qua tamen potestate, nonnisi in extrema necessitate, & in maximo Ecclesiæ periculo, & quidem rarissimè Papa utitur. Et ecce Calvinus, & Beza, omnibus suis Asseclis, liberalissimè tribuunt potestatem, deponendi & conspuendi Reges Catholicos, & Principes: Si antiquam fidem Orthodoxam in Regnis & Principatibus Strenuè tueantur, nec labefactari eam permittant.

Hæriticos non esse puniendos.

Sed

Sed fortè juratus Calvini Aſſecla, vel aliquis alius Novatorum, obſtrepet Patronus. Jeſuitas eſſe genus hominum ſeditioſiſſimum, eſſe Regum & Principum Interemptores, Reipublicæ Perturbatores ; adeoque ex quibuſdam Provinciis Galliæ, ſub Henrico IV. publico Senatûs Pariſienſis Decreto eſſe expulſos. Sed has, & aliarum calumniarum tenebras, primò diſſipavit ipſe Henricus IV. Chriſtianiſſimus Rex, utpote, qui non tantùm Patres Societatis, innocentes eſſe declaravit, eximiiſque decoravit encomiis : verùm etiam honorificentiſſimè eos in Regnum reſtituit: illos inſuper in ſua Natali Domo Flexiæ collocavit : ipſis conſcientiam ſuam regendam permiſit : Regale Cordis ſui depoſitum, quod etiam nunc ut præcipui amoris perenne pignus ſervant, teſtamento legavit. [Secundò, Diſſipavit Rex Ludovicus XIII. Filius Magni Henrici, IV. cum Sereniſſima Regina Matre, Regnique Principibus Epiſcopis, ac Proceribus : Itèm Apologia illa, cui titulus: Reſponſio Apologetica adverſùs Anti Cotoni & Sociorum Criminationes, Reginæ Ludovici XIII. Galliarum Regis Parenti, per hujus ætatem Regnum Adminiſtrantis, dedicata. In qua demonſtratum, famoſorum qui nunc contra Societatem JEſu volitant libellorum Auctores Anonimos, reos eſſe Hæreſeos, perduellionis, perfidiæ, Sacrilegii, Atrociſſimæque impoſturæ. Diſſiparunt has dein umbras calumnioſas, Sanctitate & miraculorum gloriâ Illuſtriſſimi, Carolus Boromæus, Philippus Nerius, Franciſcus Saleſius, Tereſia, Magdalena de Pazzis &c. tot Summi Pontifices, tot Viri Omnium Ordinum, probitate & Doctrinâ præſtantiſſimi, apud quos ſemper Societas fuit in magno pretio & amore. Ex Collegiis novem ejecti fueramus in Gallia. Et en, brevì non ſolùm omnia reddita, verùm plurima de novo erecta : & Urbes Quadraginta, in eodem florentiſſimo Galliarum Regno, omni

ſtudio

ſtudio nitebantur, Societati Collegia apud ſe ex fundamentis erigere.

Admiranda Zvinglii & Calvini, Coronidis loco, concludat teſtamentum, quod anno 1648. vulgavit Baſilius Rotomagenſis, fidei ac Religionis Sacræ, in qua plurimis annis vixit, deſertor. Is Ordinem Sacrum Strictioris Obſervantiæ ingreſſus, in illo floruit probitatis, ac Doctrinæ famâ. Sed indè profugus, apud Principem Orangium, Miniſtri Calviniſtici munere functus eſt, ducta Uxore, ac plurimis libris, fidei Catholicæ, ac Religioſo Nomini maximè injuriis in lucem publicam editis. Deus, qui non vult mortem peccatoris, infirmitatem ei periculoſam immiſit, quâ ductrice, rediret ad cor: in lecto itaque, meliora cogitare cœpit, & firmiter conſtituit ad Clauſtrum redire ; uxorique perſvaſit, ut & illa Statum Religioſum amplecteretur, & ad eandem vitæ profeſſionem Filiolum deſtinaret, quem ex Sacrilegio ſuſcepit. Cúmque ſe morti vicinum crederet, vocato Notario publico, quo majorem fidem ſuæ ultimæ voluntatis faceret, & idoneis teſtibus, ad rem eandem adhibitis, teſtamentum condidit, in quo notabilia hæc. Primò fatetur, coram DEO, B. Virgine, & omnibus Sanctis, quòd ſolo inſtinctu Dæmonis, & depravatæ Concupiſcentiæ, à Religione receſſerit, neque alia intentione ad hæreticorum Caſtra tranſierit, niſì quòd ſperaverit ſe ibi impunè ſuis effrenatis cupiditatibus indulgere poſſe. Secundò deprecatur humiliter Deum, & Eccleſiam, quòd contra conſcientiam fecerit juramentum, & ſubſcripſerit præſentibus multis Hæreticorum Miniſtris, eorum Dogmata & fidem, prout ab iis in Synodo Dordrechtana Anno 1628. ſtabilita ſunt : quòd proteſtatur ſe facturum nunquam fuiſſe, ſi aliter apud illos vitæ ſubſidia habere potuiſſet. Tertiò, dolet plurimùm, quòd fidelibus ſuam per Apoſtaſiam


Teſtamentum notabile.

ſcandalum præbuerit: implorátque eorum pro ſe ad Deum ſuffragia, petit quoque amore JEſu Crucifixi, ab omnibus ſibi ignoſci. Quartò, proteſtatur velle ſe omne id amplecti, quidquid à verè pœnitente pro delictis exigitur, tam, quod concernit propriam vitæ emendationem, quàm reparationem tam gravis ſcandali ab illo præbiti. Quintò, adjurat, per JEſu Chriſti ſanguinem, omnes illos, quicunque ſeducti ſunt, ſive peſſimô exemplô, ſive pravà doctrinâ, ut redeant in viam ſalutis, & convolent ad ſinum Eccleſiæ, Magiſtræ Veritatis. Sextò, revocat quæcunque ipſe, tum contra Romanam Eccleſiam, tum contra Sacrum ſuum Religioſum Ordinem ſcripſit: rogátque omnes, ut ejuſmodi libros in ignem projiciant. Enumerat autem alia ſcripta, quæ ab aliis hæreticis, aut ſibi falsò appicta ſunt, aut ſe conſcio, ab iis edita. Septimò, proteſtatur, quòd has reſolutiones fecerit, non timore mortis, aut alio motivô humanô, ſed ſolâ conſcientiâ, & deſiderio ſalutis animæ: nam id paratus erat facere, quamvìs hæc infirmitas (quæ Medicorum judicio mortalis cenſetur) non ſuperveniſſet, atque ob eam Cauſam, jam à duobus annis, à prædicando abſtinuit, quamvìs ab hæreticis, enixè toties, ad reaſſumendum hoc Satanæ negotium, rogatus fuerit. Octavò, fatetur non alium poſſe ſe ſuæ Apoſtaſiæ fontem indagare, nisì quòd neglexerit devotionem erga B. Virginem Matrem DEI, cui eidem rationi, poſt DEUM offenſum, attribuit, quòd plurimi Apoſtatæ ex hoc mundo in finali impœnitentia exceſſerint, ſe autem ideo obtinuiſſe reſipiſcendi gratiam, quòd ei quotidie, certum pietatis penſum, perſolverit, etiam in medio ſuorum criminum enormium æſtu. Nonò, Confitetur ſe plurimos Apoſtatas vidiſſe, tam Eccleſiaſtici, quàm Monaſtici Ordinis, & cum eis familiariter egiſſe, nullum tamen reperiſſe hactenus, qui non ob ſola carnalia de-

ſideria

ſideria, ſecuriùs ſectanda, habitum & fidem deſeruerit: quos proinde ſingulos adjurat, ut ſeriò cogitent, moriendum eſſe, & ſevero Judici, reddendam rationem, neque abutendum divinâ patientiâ, quæ iis tempus elargitur, ut convertantur. Denique, quia æquum judicat, ut nemo innocenter detrimentum famæ patiatur: Aſſerit coram DEO, Patrem Franciſcum Veron, qui contra eum ſcripſerat libellum, malè de pleriſque informatum fuiſſe, ſibíque appinxiſſe crimina, quorum omnino inſons eſſet, præſertim quod attingit commercium cum quadam Virgine, cui & ejus Familiæ injuſta nota inuritur. Subjicit, ſe id inſtrumentum ſua manu ſcripſiſſe Delphis, in Hollandia, Die 3. Octobris Anno 1648. Franciſcus Clovet, inter ſuos Religioſos dictus, Pater Baſilius Rotomagenſis.

Utinam poſiti extra ſinum Eccleſiæ, legentes hæc, & tot admirandè erronea Zvinglii & Calvini, quàm primùm ab errore recedant, & convolent ad Eccleſiam Catholicam, Columnam & Firmamentum Veritatis.





INDEX
Rerum notabilium, quæ in hoc libro continentur.

A.


NAGRAMMA ex verbis Consecrationis. pag. 23.
ANALOGIA inter Manna & Eucharistiam. 22. Inter Mysterium Eucharistiæ & Incarnationis. 23.
ARIANIS plurimum favet Calvinus 72. & seq.
ARROGANTIA Zvinglii 31. Calvini 54.
AUTHOR hæresum, ex mente SS. Patrum, est diabolus. 4: Peccati, juxta Calvinum, est Deus 79.

B.

BAPTISMUM infantibus fidelium esse necessarium, perperam negat Calvinus. 110. itèm non posse ab alio conferri, quàm à Ministro Ecclesiæ ordinario 114. & 115. collatum ab homine privato dicit esse invalidum 116. ab eo arcendos esse infantes Catholicorum. 117. nec conferendum nisì post Concionem ibid. docet esse validum, etiamsi loco aquæ alius liquor adhibeatur 118.

C.

CALVINI mendacia de Pontificibus Romanis 40. & seq. De Joanne XXII. ibid. De Theologis Scholasticis. 45. & 46. De Cæremoniis 47. De numero Sacramentorum ibid. & 48. De Sacra Eucharistia 49. & 50. De cultu Sacrarum imaginum & reliquiarum 51. &c. Ejus arrogantia 54. & seq. Maledicentia. 59. & seq. Impia censura librorum Sacræ Scripturæ. 62. & 63. Est reus nefandi sceleris 64. & 65. Illi vita & moribus conformes discipuli, nominatim Beza 65. Ducit uxorem 66. à quonam ad prædicandum missus 66. & 67. Facit

se Epi-

se Episcopum 69. ex vivo mortuum efficit 69. Erronea ejus doctrina de Authore peccati & Prædestinatione à pag. 78. ad 84. De Christo à pag. 84. ad 94. De B. Virgine à 94. ad 105. De Sacramento Eucharistiæ 105. De merito Christi. 106. De peccatorum deletione. 107. De certitudine prædestinationis. 108. De necessitate Baptismi. 110. De animabus Sanctorum. 111. De animabus impiorum. 113. De carcere damnatorum ibid. De custodia Angelorum. 114. Erroneæ casuum resolutiones de Baptismo à pag. 114. ad 118. De Consecratione in aqua vel cerevisia. 119. Permittit pro pane adhiberi caseum vel carnes. 120. Reliquias sacras vult ejici ex templis. 121. Itèm imagines Christi & Sanctorum. 122. Abrogari vult festa Sanctorum. 123. Removeri à templis instrumenta Musica. 125. Prohibet pulsum si quis vitâ fungatur. ibid. Monachos & Religiosos ex mundo pellendos asserit. 126. Hæreticos non esse puniendos. 127.

CALVINISMUS *est gradus ad Atheismum.* 79.

CAUSÆ *lapsûs in hæresim Zvinglii.* 30.

CHRISTI *animam fuisse aliquando destitutam usu rationis impiè blasphemat Calvinus* 84. *& seq. Illusisse Eum adolescenti Evangelico quærenti* : Magister bone quid faciam, ut habeam vitam æternam? 86. & 87. *Repugnâsse illum voluntati divinæ.* 88. *Pertulisse in anima damnatorum pœnas ibid. &* 89. *non esse mortuum pro omnibus* 90. *nec verè descendisse ad inferos ibid. non penetrâsse lapidem sepulchralem.* 91. *nec januas clausas post resurrectionem.* 92. *&* 93.

CONCILIA *damnant errorem Zvinglii circa Eucharistiam.* 14. *Itèm Berengarii.* 19.

CULTUM *Sanctorum improbat Zvinglius.* 26. *Itèm Calvinus.* 121. *& seq.*

D.

DÆMON *præceptor Zvinglii,* 1. 2. *&* 3.

E.

ERROR *Zvinglii de Eucharistia* 7. *quem damnat Christus & Scriptura Sacra ibid. & seq. Damnant figuræ Eucharisticæ.* 10. *Damnant SS. Patres* 11. *& seq. Damnant Concilia pag.* 14. *nec non miracula.* 15. *&* 16. *Objectiones Zvinglii & Sacramentariorum convelluntur.* 17. *Errorem hunc ante Zvinglium docuit Berengarius.* 18. *revocat illum.* 19. *renovatur à Vicleffo.* 21. *alii errores*

res Zvinglii. 24. De merito ibid. De Sacerdotio & Episcopatu. 25. De votis ibid. De templis exstruendis ib. & 26. De veneratione Sanctorum. 26. & 27. De Baptismo. 29. De textu S. Joannis : Verbum caro factum est. ibid.

ERRORES Calvini de authore peccati & prædestinatione. 78. & seq. De Christo. 84. & seq. De B. Virgine. 94. & seq. De aliis articulis fidei. 105. & seq.

ERRONEÆ casuum resolutiones Calvini de Baptismo. 114. & seq. De Eucharistia. 119. & 120. De Reliquiis Sacris, & imaginibus Christi & Sanctorum.

EUCHARISTIÆ consecratio juxta Calvinum potest fieri in aqua vel cerevisia. 119. in caseo & carnibus. 120.

H.

HÆRESUM author est diabolus 3. & 4. probatur authoritate SS. Patrum. 4. Itèm inductione & exemplis variis. 4 & seq.

HÆRESIARCHARUM infelix obitus. 34.

HÆRETICI obtendunt Scripturas Sacras. 67.

I.

JUDICIUM Lutheri & Lutheranorum de Zvinglio, Calvino & Carolstadio. 36. & 37. horum & Sacramentariorum de Luthero & Lutheranis. 38.

L.

LUTHERUS & doctrina illius causa lapsûs in hæresim Zvinglii. 30. & 31.

M.

MARIÆ V. infidelitatem & malignitatem attribuit Calvinus. 94. & 95. negat eam emisisse votum Virginitatis. 95. negat fuisse liberam ab omni vitio. 96. assignat falsam causam festinationis ad Elisabeth. 97. Docet integritatem Virginis fuisse in partu violatam. 98. Error iste fusè refutatur. 98. & seq. asserit errâsse B. V. in postulato suo in Cana Galilææ. 103. impugnat titulos B. Virgini ab Ecclesia & SS. Patribus attributos. 103. & 104.

MAGISTRI & Doctoris denominationes rejicit Zvinglius. 27.

MENDACIA Calvini de Pontificibus Romanis. 40. & seq. De Joanne XXII. ibid. De Theologis Scholasticis. 45. & 46. De numero Sacramentorum. 47. & 48. De Eucharistia. 49. & 50. De cultu Sacrarum imaginum, & Reliquiarum. 51.

MIRACULA quot in Manna ? 21. Quot in Eucharistia. ib. & 22. Miraculúm-ne quod multi adhæserint Calvino ? 78.
MYSTERIUM SS. Trinitatis cùm Ario impugnat Calvinus. 73. *& seq.*

N.

NOVATORUM expositio verborum Christi: Hoc est corpus meum. 20.

P.

PROPHETIÆ falsæ Zvinglii. 32. *& seq.*

R.

REPROBATIO non est facta sinè prævisione ullius culpæ. 82. *& sequ.*

S.

SUPERBIA fuit causa lapsûs in hæresim Zvinglii. 31. *Est mater hæresum.* 54.

T.

TESTAMENTUM Basilii Rotomagensis notatu dignum. 129. *&c.*

V.

VOTA rejicit Zvinglius pag. 28.

W.

WORSTII Calvinistæ propositiones impiæ. 78.

Z.

ZVINGLIUS fuit dæmonis discipulus. 1. 2. *&* 3. *ejus de Eucharistia triplex Sen-tentia.* 7. *Error circa Eandem ibid. & seq. alii ejusdem errores.* 24. *& seq. De merito ibid. De Sacerdotio & Episcopatu.* 25. *De Votis. ibid. De ex-struendis templis.* 26. *De Veneratione Sanctorum.* 27. *De Baptismo.* 29. *De textu S. Joannis :* Verbum caro factum est. *ibid. Quæ causæ lapsûs ejus in hæresim.* 30. *&* 31. *falsæ ejusdem Prophetiæ* 32. *& seq. interimitur in bello.* 34. *quæ inter illum & Lutherum animorum conjunctio.* 35. *Ejus de Luthero, Calvino, & Carolstadio judicium.* 38.






ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 1.	*lin.* 2. à fine	*pro* poſtduam	*lege*	poſtquam
27.	8. à fine	vas -		vos
28.	18.	corogantiæ,		arrogantiæ
30.	15.	zeloziſſimo,		zeloſiſſimo
36.	5. à fine	illibera iter ,		illiberaliter
38.	2. à fine	certior		certum
43.	12. à fine	Athanafius,		Athanaſius,
57.	18.	rectio,		retro.
60.	1.	peccudes		pecudes.
61.	ultimâ	motuos		mortuos.
62.	1.	coneedo		concedo.
64.	12.	invitam ,		in vitam.
66.	4.	jxta,		juxta.
68.	5.	Catholiæ		Catholicæ.
70.	18.	nondiu,		non diu.
72.	ultimâ	Preve,		Primò.
76.	10	Calvinuſin,		Calvinus in.
ibid	eâdem	a dversùs,		adversùs.
79.	1.	diametro,		è diametro.
85.	10. à fine	Sapietientiâ,		Sapientiâ.
92.	5. à fine	reſurectionem,		reſurrectionem.
ibid.	4. à fine	iinquit)		(inquit)
93.	14. à fine	ſc atur,		ſciatur.
109.	8. à fine poſt,	injuſtos,	adde :	diſcernit, & juſtos.
119.	13. à finè	Spiritualis,		ut Spiritualis
121.	9.	ſuperſtititio,		ſuperſtitio.
ibid.	12.	Hugoniti		Hugonoti.
ibid.	11. à fine	profluentum,		profluentem.
124.	3. à fine	videatur,		rideatur.
128.	9.	encomiiis,		encomiis.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0023576


R
Cont.